WIDENER LIBRARY
HX PP7L %

Digitized by Google

a 10. 87.

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

TRANSFERRED FROM THE

Divinity School Library,

10 Feb. 1881.

RECEIVED FROM

Col. Benj. Loring.

18 .

Digitized by Google

Digitized by Google

GUILELMI HENRICI GRAUERTI

GUESTFALI

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN UNIVERSITATE LITTERARUM RHENANA SOCII

DE

AESOPO

ET

FABULIS AESOPIIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD IMPETRANDOS AB ILLUSTRI EIUSDEM UNIVERSITATIS PHILOSOPHORUM ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES SCRIPTA ET EDITA.

DIVINITY SCHOOL
LIBRARY.
HARVARD UNIVERSITY

BONNAE AD RHENUM

APUD A. MARCUM.

LUGDUNI BATAVORUM APUD S. ET J. LUCHTMANS.

MDCCCXXV.

Digitized by Google

Ga10.87

COLONIAE AD RHENUM, TYPIS J. P. BACHEMII.

Digitized by Google

THESES CONTROVERSAE

QUAS

UNA CUM DISSERTATIONE

DE

AESOPO

ET

FABULIS AESOPIIS

AD IMPETRANDOS AB ILLUSTRI IN LITTERARUM UNIVERSITATE BORUSSICA RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

DIE XXI. DECEMBRIS MDCCCXXV.

DEFENDET AUCTOR

GUILELMUS HENR. GRAUERT

GUESTFALUS, SEMINARII REGII PHILOLOGICI SOCIUS.

OPPONENTIBUS

CAROLO GUIL. LUCAS, Sem. Phil. sod.

LUDOVICO SCHOPEN, Phil. Dr.

PETRO IOS. ELVENICH, Phil. Dr.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES CONTROVERSAE.

Stellulis distinctas a Viro Illustrissimo NIEBUHRIO defendendas accepi.

I.

* *Dionis Chrysostomi quae fertur Corinthiaca oratio aut ipsius Musonii est aut sub persona Musonii scripta.*

II.

Ingenium antiquitatis recentiori aevo non est oppositum.

III.

Arateorum Phaenomenon prooemium non totum Arati est.

IV.

* *Quae Senecae tribuuntur tragoediae ad Graecarum Alexandrinarum imaginem expressae sunt.*

V.

Fuerunt gentes Latinae et Accia et Attia: Actia nulla fuit.

VI.

Empedocles Ionicae sectae philosophus fuit.

VII.

* *Polybius historiarum opus bis edidit, et quidem ita ut in priore editione ad eversum Macedoniae regnum substiterit.*

VIII.

Phaedrus Domitiano demum regnante fabularum libros edidit.

IX.

Philosophia in gymnasiis abstinendum est, philosophando non est.

Digitized by Google

X.

* *Non iuvenis scribere incepit historias T. Livius, sed matura aetate, fere quinquagenarius.*

XI.

Demosthenes ab omni improbitatis labe immunis fuit.

XII.

Non sunt ideae homini innatae.

XIII.

* *Annorum notae quae ex Aristotelis Rhetoricorum libris eliciuntur, minime probant, quod Dionysius vult Halicarnasseus, eos postremis philosophi annis compositos esse.*

XIV.

Ciceronem in Latine scribendo et qui solum et qui totum debere pro exemplari esse affirmant, linguae Latinae aestimatores sunt haud aequi.

XV.

* *Linguae Italicae vulgaris diminutiva in nominibus Frontino, Laevino, Carino, Lupicino, Ursicino comparent, augmentativa in Frontone, Pedone, Dorsone, Nasone.*

XVI.

Versibus transponendis raro emendatur, paginis saepissime.

XVII.

* *Versus Aeneidis VIII.* 654. *loco movendus, illique qui* 641. *numeratur, subiiciendus est, delendus minime.*

XVIII.

Aristotelis de arte poetica liber neque compendium est neque adumbratio a philosopho sibi non aliis scripta.

XIX.

* *Lycophro tenebricosus diversus ab eiusdem nominis*

Digitized by Google

tragico est, qui Pleiadi annumeratus sub Ptolemaeo Philadelpho floruit, scripsitque patrato bello Antiochino.

XX.

Diosemea Arati carmen non fuit.

XXI.

Antiquissimum apud unumquemque populum carminum genus neque epicum est nec lyricum.

XXII.

* *Ad finiendam plebis patrumque de curuli magistratu contentionem triumviros reipublicae constituendae creatos esse affirmanti Lydo credendum est.*

XXIII.

Neque Chalcis unquam oppidum fuit in Chalcidice, neque Magnesia in Magnesia.

XXIV.

* *Qui inter Lucianeos editur dialogus Philopatris scriptus est Constantinopoli imperante Nicephoro Phoca, anno* 968.

XXV.

Non septuagenarius demum Herodotus historiarum opus composuit.

XXVI.

In Cornelii Nepotis Themist. c. 9. *emendandum est: « postquam in tuto* i p s a *et ille in periculo esse coepit. »*

Digitized by Google

VITA AUCTORIS.

Parentibus utrisque Germanis, et quidem Guestfalis, patre Gerardo Josepho Grauert, linguarum recentiorum nunc doctore, matre Margaretha Elisabetha Goede, natus sum apud Batavos Amstelaedami, qua in urbe tunc quidem pater optimus consederat mercator, anno millesimo octingentesimo quarto. Ubi postquam per primos infantiae annos nutritus atque educatus eram, variis casibus rerumque discriminibus per varias Germaniae regiones iactati parentes tandem Monasterii Guestfalorum certam figere sedem potuerunt. Quo tempore etsi litterarum recentiorum elementis et per patrem et per magistros quosdam informatus earumque amore aliquantum iam eram imbutus: tamen tum primum certa quadam atque egregia ratione coeptus sum erudiri, inter Gymnasii quod Monasterii floret Paulini discipulos receptus, praeceptore viro eximio mihique imprimis dilecto, Nadermanno, eiusdem Gymnasii nunc quidem Directore, atque sub auspiciis patrui venerandi, linguae Graecae ibidem Professoris, cuius memoriam morte admodum acerba mihi abrepti pia grataque mente semper recolam. Quo factum est, ut hanc urbem vel certe Guestfalorum regionem soleam venerari patriam. Per sex ibi annos institutus, atque favente, quod magistri dicebant mei, Minerva dimissus, anno millesimo octingentesimo primo et vigesimo litterarum hanc petii Universitatem Rhenanam, antiquitatis quae vix degustaveram studiis totum me dediturus. In civium academicorum nume-

Digitized by Google

rum relatus Rectore Magnifico Aloysio Gratz V. Ven., inscriptusque in Illustris Philosophorum Ordinis Album Decano Spectabili Friderico Th. Welcker V. Cl., Heinrichium statim adii, ut et ceterarum eius lectionum fructus perciperem, et in Seminarium Philologicum reciperer vera disciplina philologica instituendus. Quem virum quod per quadriennium fere interpretantem audivi antiquos scriptores, Ciceronem, Homerum, Horatium, Iuvenalem, Persium, atque in meis ipsius et intelligendi et scribendi conaminibus auctorem habui ac moderatorem, nunquam non habebo maximam vitae meae felicitatem. Nec sine summo fructu simul Naekii V. Cl. scholas frequentavi, tragicos poetas Graecos, Aristophanem, Platonem, Terentium, Plautum exponentis, itemque Seminarii Philologici sodales recte interpretari scriptores classicos et emendate eleganterque scribere instituentis. Pariter utilitatem cepi magnam ex Welckeri V. Cl. lectionibus de historia Graecorum litteraria, de antiquitatibus Graecis, de Mythologia Graecorum et Romanorum, de artium apud veteres historia, de encyclopaedia philologica, de palaeographia; itemque Hüllmannum V. Cl. audivi tradentem historiam antiquam et recentiorem; Platonis Phaedonem exponentem ac de paedagogia praecipientem V. Cl. Delbrückium; trigonometrias explicantem Diesterwegium V. Cl.; de antiquitatibus Etruscis Latine disserentem V. Cl. Augustum Guil. a Schlegel; denique Logicam et Psychologiam docentem Esserum Dr. Absoluto iam fere studiorum cursu ad accuratiorem philosophiae cognitionem, quam quia iuniorem me putabam mihi reservaveram, delato mihi contigit ut Brandisium V. Cl. historiam philosophiae tam veteris quam recentioris enarrantem audirem: qui vir ea me humanitate ac benevolentia prosecutus est tan-

Digitized by Google

tamque in perpetuum sibi obligavit, ut vividissima ac gratissima haec memoria nunquam vel leviter possit infirmari. At vero in ipso curriculi ultimo stadio novum idque splendidissimum subito obortum mihi est sidus, quo coelesti quadam luce vita mea illustrata est atque ornata. Cognovi Niebuhrium. Non solum audivi eum de optima disputantem disciplina, verum etiam oblata est ipsa Viri Illustrissimi quotidiana consuetudo. Cuius meam summam venerationem dum nullo efferre conor verbo, unice vere significare mihi videor.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO

B. G. NIEBUHRIO C. F.

POTENTISSIMO REGI BORUSSIAE A CONSILIIS STATUS INTIMIS ET AD SEDEM APOSTOLICAM NUPER LEGATO

S. P.

Instituenti mihi ad te, NIEBUHRI, Vir Illustrissime, deferre specimen hoc meorum antiquitatis studiorum, ac diu multumque propterea dubitanti magna se semper offerebat religio, ne

Digitized by Google

ultra fines excederem verecundiae, si hanc tam tenuem opellam tibi, tanto viro, egomet dedicarem. Nam quum saepe alios vituperassem, quod summorum, qui bene sibi cuperent, virorum humanitate immodestius abuterentur: in eandem nunc reprehensionem cadere ipse videbar. Itaque quamvis tua quotidiana consuetudine et quadam familiaritate uti immerenti mihi prae ceteris contingat, ut inde quasi nova ac praeclara lux vitae exorta sit meae: tamen ea sic frui nolebam, aliqua ut splendoris tui particula conspicuum me reddere velle viderer. Verum ut facerem quod ardentissime cupiebam, neque deesset publice monumentum, quod meam tui maximam reverentiam quodammodo testaretur, et tua me singularis, qua ingenii et doctrinae laudes exornas, animi praestantia ac benevolentia admonebant, et vero idem ille vir, qui ad ingrediendam studiorum meorum rationem princeps mihi in hac Artium Universitate exstitit, et qui quantum in totam vitam obstrictum me teneat dicere vix possum, ipse me HEINRICHIUS *exhortabatur. Quamobrem postquam tibi illud non ingratum fore cognovi, quod fuerat propositum laetus peregi, istamque dissertationem,*

Digitized by Google

quam, praemio nuper ornatam Regio, nunc retractatam totam et correctam, in publicum timidus prodire patior, audacior tibi inscripsi. Tu vero ut eam accipere nec dedigneris, et tuae consuetudinis tum utilissimae tum iucundissimae in posterum quoque copiam mihi facias, exopto summopere et vero obsecro. Etenim omnium, qui candide iudicant, et quantum litteris, quantum denique tibi tribuendum sit, recte intelligunt, voluntates ac studia in eo plane conspirant, ut tu, quum Roma relicta Bonnam haud indignam praesentia tua ac domicilio habeas, et iam quae in hac alma Musarum sede florent antiquitatis studia egregia quadam ratione augere et illustrare coeperis, ad longum tempus optimarum artium velis exemplum nobis exstare ac praesidium, iuvenumque inflammare animos honesto litterarum et gloriae amore.

Scripsi Bonnae extremo Julio a. MDCCCXXV.

GUILELMUS HENRICUS GRAUERTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

AESOPO ET FABULIS AESOPIIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Aristoteles de Rhetorica l. II. c. 20: *Εἰσὶ δ' αἱ κοιναὶ πίστεις δύο τῷ γένει, παράδειγμα καὶ ἐνθύμημα. ἡ γὰρ γνώμη μέρος ἐνθυμήματός ἐστι. Πρῶτον μὲν οὖν περὶ παραδείγματος λέγωμεν· ὅμοιον γὰρ ἐπαγωγῇ τὸ παράδειγμα. ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἀρχή. παραδειγμάτων δ' εἴδη δύο ἐστίν· ἓν μὲν γάρ ἐστι παραδείγματος εἶδος τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα· ἓν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν· τούτου δ' ἓν μὲν παραβολή, ἓν δὲ λόγοι, οἷον οἱ Αἰσώπειοι καὶ Λιβυκοί.* Igitur fabulae Aesopiae in eorum referuntur numero, quorum in persuadendo usus cernitur; quo fit ut oratoris potius sint, non poetae; neque, ut singula poesis genera, per se ipsas constent, sed in variis vitae communis negotiis ac muneribus ad erudiendum et admonendum adhibeantur. Ac vere omnino et prudenter ita summus philosophus praecepit, et propterea in libris de Rhetorica, non in Poetica de iis disseruit: nam quum apud recentiores pro ludicris eae habeantur rebus, non tam docendi quam delectandi causa fictis, antiqui viri quicunque fabulis fingendis operam dederunt, singulari semper quadam in causa certoque aliquo eventu commenti eas esse reperiuntur: id quod postea probabo. Pertinent autem eae non ad argumenta (*ἐνθυμήματα*) sed ad exempla (*παραδείγματα*); et quidem ad exemplorum genus illud, in quo fictum aliquod, non vere factum, refertur: cuius generis species duae sunt, *παρα-*

βολαί et *λόγοι*. Utrasque paucis interiectis Aristoteles distinxit ipse: *παραβολὴ δὲ τὰ Σωκρατικά· οἷον εἴ τις λέγοι, ὅτι οὐ δεῖ τοὺς κληρωτοὺς ἄρχειν· ὅμοιον γὰρ εἴ τις τοὺς ἀθλητὰς κληροίη μὴ οἳ ἂν δύνωνται ἀγωνίζεσθαι ἀλλ' οἳ ἂν λάχωσιν· ἢ τῶν πλωτήρων ὅντινα δεῖ κυβερνᾷν κληρώσειεν, ὡς δέον τὸν λαχόντα, ἀλλὰ μὴ τὸν ἐπιστάμενον. Λόγος δὲ, οἷος ὁ Στησιχόρου πρὸς Φάλαριν καὶ Αἰσώπου ὑπὲρ τοῦ δημαγωγοῦ*: quas fabulas, alteram de equo et cervo certantibus atque homine in equi auxilium advocato (v. Hor. Epp. I, 10, 34 sq.), de vulpe et erinaceo alteram, exponit deinde. Apparet autem, a comparatione (*παραβολῇ*) differre narrationem (*λόγον*) eo, quod in illa res quae fieri possit narretur, non quae facta sit aliquando, et propterea ingredi dicentem verbis *ὥσπερ εἴ τις*; in narratione quasi vere quondam factum sit fingatur, certis illud conditionibus quibusdam definitum ac descriptum, eoque initium fieri verbis *ἦν, ἦλθε, ἔφη*, aliis. Itaque *λόγος* est *narratio rei quae evenisse aliquando fingitur, eo consilio, ut aut ad virtutem aut ad prudentiam fiat exhortatio.* Quarum narrationum species est fabula Aesopia (*ἓν δὲ λόγοι, οἷον οἱ Αἰσώπειοι*): quam quum Aristoteles non definierit, supplendum hoc est ita, ut in ceteris narrationibus quiqui velint homines et dii partes agant, in Aesopia proprie bestiae tantum inductae sint apud Graecos et res quaedam inanimae, arbores, plantae, montes, ea quidem ratione ut iis humanae vocis facultas et agendi quidam modus ad humanum propius accedens attribuantur. Quod quoniam consideranti Aesopiarum fabularum naturam non potest non videri mirum omnium maxime, saepe ac multum quaesitum est a viris doctis atque ingeniosis, quonam illud consilio instituissent fabularum inventores: et vero alius aliam esse causam existimabant. A quibus ego quidem ita discedo, ut non

Digitized by Google

tam consulto hoc institutum esse, quam instinctu aliquo naturali ex humano ingenio fabulam processisse arbitrer.

Etenim uniuscuiusque artis inventio ut in remotissimum tempus recedit, et qui eius inventor dicitur tantum ad aliquem perfectionis gradum perduxit rem diu excogitatam: ita fabulae Aesopiae non puto certum quendam inventorem posse vocari, sed in quovis populo litteris nondum exculto haud sero exoriri eam potuisse, a pluribus fortasse eodem tempore inventam, nec tamen valde artificiosum aliquod ac praeclarum habitam. Nimirum in uniuscuiusque hominis natura, quaecunque propria eius animi mentisque constitutio est, quodcunque solum patrium, quaecunque rerum conditio, penitus insita sunt duo quasi lineamenta, in quibus fabularum Aesopiarum radix est ac fundamentum. Est enim homo a natura ita constitutus, ut prudentiam et virtutem non solum ipse consectetur, verum etiam alios ut consectentur adhortetur atque adjuvet. Haec est enim magna hominis praestantia, quod, nisi pravitate corruptum iam habeat animum, summum bonum continuo appetendi inest ei necessitas. Quoniam autem non omnes eadem animi vi et virtute pollemus, sed superior altero est alter: fieri non potest, quin illi, qui ingenio et sapientia prae ceteris excellunt, reapse hominum ductores exsistant, eosdemque verbis factisque ad exercendam virtutem adducere studeant. Inde est quod in iis populis, qui, nondum eruditi, quasi toti sunt naturae, mox exsurgunt viri ingenio ac prudentia insignes, eorumque aut reges fiunt aut rerum sacrarum antistites: quo simul facit universa dominandi cupido. De vita probe prudenterque regenda, de singulis officiis rite ac sapienter exsequendis, praecepta patres etiam rudes dant filiis, populorum rectores populis. Quamobrem antiquissima omnium populorum carmina praecepta quo-

Digitized by Google

que et admonitiones continent multas: velut Graecorum gnomicae, quae vocatur, poesis initia Homericis inesse carminibus apparet manifesto.

Est autem alia humani animi proprietas eaque non minus alte insita naturae nostrae: illam dico, qua similia inter se comparantur, et, quod inde fit, alterius notionis vocabulum ad alteram transfertur. Namque poetarum quae dicuntur comparationes et translationes ut apud unumquemque populum reperiuntur, ita ad communem vitae usum accomodata sunt omnino, quin ex eo fluxerunt. Quemlibet enim hominem litterarum vel rudissimum audire licet id quod aliqua cum vi pronunciat, quando vivide ipsi obversatur, comparatum cum re simili proferentem, veluti „currit tam celeriter quam lepus; saltat ut hoedus; felis instar est perfidus; tumultuatur quasi corruat domus;“ similia multa.

Ista vero exempla ex iis homines repetunt, quae ipsis proxima sunt et maxime usitata; quibus enim per quotidianam vitae consuetudinem plerumque occupantur, eorum vestigia in animis ipsorum haerent altissime.

Jam vero si ad antiquissimum hominum vivendi genus attenderis, videbis pastoritium illud et venatorium fuisse, in eoque adolescentem quemque populum fuisse occupatum. Ita homines quum inter varia animalia quotidie versarentur, fieri non poterat, quin magis magisque iis assuefierent; ac mansueta imprimis animalia, quae sponte ad ipsos accedebant, suique fructum varium atque arbitrium offerebant, amore quodam complecterentur: amat venator fidum canem, opilio oves placidas, equum velocem et alacrem Arabs. Hinc fit, ut saepe eiusmodi delicias homines alloquantur, quasi sensu animoque humano sint praeditae: sermocinatur cum pupula sua, prorsus ut cum sodalibus, infans, in quo tota adhuc natura cernitur: cum cane venator nunc

Digitized by Google

laudans nunc obiurgans; cum luscinia in cavea lepide circumsiliente puer. Inde est quod egregie finxit Homerus Odyss. ι, 447. sq. Cyclopem oculorum luce privatum triste alloqui arietem, gregis sui praesidium atque decus:

Κριὲ πέπον, τί μοι ὧδε διὰ σπέος ἔσσυο μήλων
ὕστατος; οὔτι πάρος γε λελειμμένος ἔρχεαι οἰῶν
— — — — — — — — — —
ἦ σύγ' ἄνακτος
ὀφθαλμὸν ποθέεις, τὸν ἀνὴρ κακὸς ἐξελάωσε
σὺν λυγροῖς ἑτάροισι, δαμασσάμενος φρένας οἴνῳ;

Similiter equos suos Hector exhortatur Iliad. ϑ. 185. sq.

Ξάνθε τε καὶ σὺ, Πόδαργε, καὶ Αἴθων Λάμπε τε δῖε
νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον — — — —

Itaque homines simpliciter viventes quum arta consuetudine coniuncti essent cum belluis, ut ab iis humanarum rerum cum animalibus comparationes ducere facile possent: praeterea tum neque doctrina artibusque ita iam exculti erant, ut ad deos ipsos evehi sibi viderentur, neque superfluis rebus multis ineptisque et absurdis obruti, ut insani potius quam sapientes essent appellandi, illa tantum spectabant agebantque, ad quae vi quadam innata ducerentur: quae quidem magnam certe partem ab animalibus eadem peragi facile observabant, inferiora illa quidem et ratione et voce, sed tamen similia. Qua in re fugere eos nequibat unicuique animalium generi propriam aliquam inesse agendi regulam, a qua nunquam deflecterent, quaque hominibus aut prodessent aut nocerent; ovem mox notabant placidam esse, ignavum asinum, callidam vulpem, tigrem esse rapacem, ferocem sed generosum ac maiestate praecellentem leonem; agnae insidiari lupum, teneras aves devorari a vulture. Id est enim ipsum

quod egregie expressit poeta, sive Philemo sive Euripides (fragm. T. II. p. 496. ed. Lips.)

Τί ποθ' ὁ Προμηθεὺς, ὃν λέγουσ' ἡμᾶς πλάσαι,
καὶ τἄλλα πάντα ζῶα, τοῖς μὲν θηρίοις
ἔδωχ' ἑκάστῳ κατὰ γένος μίαν φύσιν;
ἅπαντες οἱ λέοντές εἰσιν ἄλκιμοι,
δειλοὶ πάλιν ἑξῆς πάντες εἰσὶν οἱ λάγοι·
οὐκ ἔστ' ἀλώπηξ ἡ μὲν εἴρων τῇ φύσει,
ἡ δ' αὐθέκαστος· ἀλλ' ἐὰν τρισμυρίας
ἀλώπεκάς τις συναγάγοι, μίαν φύσιν
ἁπαξάπασιν ὄψεται τρόπον θ' ἕνα.
ἡμῶν δ' ὅσα καὶ τὰ σώματ' ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν
καθ' ἑνὸς, τοσούτους ἐστὶ καὶ τρόπους ἰδεῖν.

quem locum apposite laudavit Huschkius in docte acuteque scripta de fabulis Archilochi dissertatione (inserta Augusti Matthiae Miscell. philol. Vol. I) pag. 3., adscriptis etiam aliis, quibus non satis idoneus erat locus. Similis est autem quem Plato finxit mythus Protag. p. 320 sq.; similia etiam apud Philonem de animal. advers. Alex. p. 147. ed. Aucher., Macrobium Somn. Scip. I, 2; Priscianum praeexercit. rhet. c. 1329 sq. Putsch. Ad haec adde quod siderum pars maior nomina habet ab animalibus repetita, cum coeli contemplatio ac siderum sit antiquissima; et quod propter proprias bestiarum indoles plura verba de eorum desumta sunt agendi ratione, ut *ὀῤῥωδεῖν, πτήσσειν* (v. Bentl. diss. Phalar. p. 298. ed. Lips., Valcken. ad Ammon. I, 9) et inde *ὑποπτήσσειν* (Aesch. Prom. 29.); sic Latini *auriculas demittere, adulari*, cet. quorum similia in quavis lingua usitata inveniuntur. Eadem naturae notatio in arboribus quoque et plantis facta est: unde explicandi tales poetarum loci sunt, qualis est hic Theocriti I, 131. sq.

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι,
ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι κ. τ. λ.

Digitized by Google

Hanc ob certe descriptam cuiusque animalium generis naturam aptissimum esse eorum in fabula Aesopia usum, primus Lessingius monuit in acutissima et plane egregia de fabulis dissertatione, praemissa ipsius fabulis Aesopiis, iterumque edita in Operibus omnibus Vol. XVIII, p. 87—210.: post quem quotquot hac de re scripsere, idem repetierunt, quibus de multis me unum esse non poenitet. Hinc autem illud etiam fit, ut quibus quotidie homines utuntur comparationes pleraeque omnes de animalibus ductae sint: quo quidem valde elegans locus facit Aristophontis comici e Pythagorista, servatus ab Athenaeo VI, p. 238. C:

πρὸς μὲν τὸ πεινῆν, ἐσθίειν τε μηδὲ ἕν,
νόμιζ' ὁρᾶν τιθύμαλλον ἢ Φιλιππίδην·
ὕδωρ τε πίνειν βάτραχος· ἀπολαῦσαι θύμων
λαχάνων τε κάμπη· πρὸς τὸ μὴ λοῦσθαι ῥύπος·
ὑπαίθριος χειμῶνα διάγειν κόψιχος·
πνίγος ὑπομεῖναι καὶ μεσημβρίας λαλεῖν
τέττιξ· ἐλαίῳ μήτε χρῆσθαι μήθ' ὁρᾶν
κονιορτός· ἀνυπόδητος ὄρθρου περιπατεῖν
γέρανος· καθεύδειν μήτε μικρὸν νυκτερίς.

Quae quum ita sint, apparet facile perductos eo homines esse, ut humanas res comparationibus translationibusque a belluarum ratione agendi repetitis illustrarent. Veluti quidam quum observasset accipitrem auferre unguibus raptam lusciniam, eamque, quamvis lamentantem et quasi misericordiam implorantem crudelis inimici, tamen dilacerare ac devorare: monens postea aliquando filium, ut ab inimicorum caveret insidiis et infirmior fugeret potentiorem, id quod olim viderat ipsi narravit, addiditque eodem modo de ipso actum fore, quum superbi misericordiae sentiant nihil. Jam vero proximum erat homini animato, animamque omnibus rebus attribuenti, verbis interpretari quae sensisse opinaba-

tur vel fingebat ea de quibus narrabat animalia, dum istud agerent. Quod quidem vel in communi vitae usu cernitur: velut nosmet ipsi caniculam esurientem cibo conspecto eiulare caudamque agitare et lepide saltare quum videmus: supplicatur tibi, domino dicimus, atque implorat tuam humanitatem, ut pauca porrigas frustula: queritur enim (hoc quoque additum saepe ego audivi) ingenti fame se misellam laborare, dicitque crudeliter te agere, nisi modestis ipsius precibus obsequare. Similiter venatores, qui incorruptae naturae non parum certe habent servatum, de feris canibusque ita fere loquuntur: putabat vulpecula furtim se esse elapsuram tela morsumque; ego vero quid rei esset significavi ipsi haud obscure. Atque eadem ratione alias bestiarum actiones multas interpretati facile verbis sunt homines. Et praesto quidem sunt exempla ex iis scriptoribus petita, in quibus regnat natura, bucolicis poetis: Theocritus I, 48. sq. poculum describit, in quo praeter alias imagines caelatus erat puer uvas custodiens:

ἀμφὶ δέ μιν δύ' ἀλώπεκες, ἁ μὲν ἀν' ὄρχως
φοιτῇ σινομένα τὰν τρώξιμον, ἁ δ'ἐπὶ πήραν
πάντα δόλον τεύχοισα τὸ παίδιον οὐ πρὶν ἀνήσειν
φατὶ πρὶν ἢ ἀκράτιστον ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ.

cf. ibid. 71. sq. Virgil. Ecl. V, 62. sq. quibus multa addi facile possunt etiam ex aliis poetis. Quid? quod poetarum est omnibus vitam attribuere rebus, adolescentis autem populi ad poësin admodum propensa natura est. Hac ergo ratione, ut in eo, quod supra posuimus exemplum, persistamus, pater ille verbis explicabat lusciniae querelas crudelemque accipitris pertinaciam: „implorabat luscinia accipitris misericordiam dicebatque: quid me rapis, quid infestas, quae nunquam tibi iniuriae quidquam intulerim? ille autem: taceas, inquit, meae tradita es potestati; nil ad me

inanes tuae querelae; meo in arbitrio positum esse vides te aut perdere aut incolumem dimittere.“ Quid? iustam habes fabulam Aesopiam, eam quae numeris inclusa est ab antiquissimo poeta Hesiodo Op. et Di. v. 200. sq.

His argumentis si recte ostendi ex ipsa hominum natura procedere bestiarum in fabulis usum, concedendum est etiam, non satis recte eum referri ad illam hominum opinionem, qua illi antiquissimis saeculis animalia ratione et voce praedita putaverint: quae Huschkii est sententia dissert. laud. p. 2.: ea enim ipsa opinio postea demum exorta est, quum philosophari et rerum origines quaerere ac fingere homines didicissent. Perductum vero in eam sententiam Huschkium opinor eo quod nonnunquam praepositum fabulis est *φασίν* vel *ὅτε φωνήεντα ἦν τὰ ζῶα*, ut in Xenoph. Mem. S. II, 7, 13.

Quoniam autem ad singulorum hominum ingenium ita accommodata est fabula, ad populorum quoque ingenia debet esse: vere enim Cic. (de re publ. II, p. 76. ed. Heinr.) quod est in singulis, dicit, id est in populis. Hinc tandem colligitur nulla nos necessitate eo adigi, ut fabulas Aesopias quasi litterarum genus omnino singulare a certo quodam populo inventas ab eoque ad alias gentes propagatas putemus; sed cuiusque hominis et populi ingenio ita innata esse fabularum elementa, ut ipsae fabulae, haud secus atque omnia poesis genera, apud adolescentem quemque populum exoriri possint.

II.

Quamvis igitur antiquus fuerit fabularum usus apud Orientis populos: nihil tamen impediit, quominus in Graecia quoque nascerentur, neque aliunde ad eos

importarentur. Atque omnino ea in historia ratio, qua quae diversis locis eadem reperiuntur, uno tantum loco exorta, ex alio in alium esse delata coniiciunt, periculi habet multum: nam ut in plurium hominum mentibus eaedem saepe nascuntur cogitationes, ita fieri etiam potest facillime, ut diversis in populis iidem mores iidemque ingenii proventus reperiantur, nec tamen ullus inter eos connexus intercedat: homines enim sunt omnes. Quae angustiore sensu dicuntur, fabulas ab Orientis populis mature adhibitas fuisse ad tradenda praecepta et eam quae ad mores spectat philosophiam, tum ex iis veri est simile, quae universe disputavimus, tum certis quibusdam vestigiis ducti affirmare possumus. Quoniam enim cum omnibus in oriente populis, tum vero inprimis Indis frequentissimus fuit in poesi et mythologia usus animalium, ac tempore admodum remoto Indi cultura imbuti fuerunt: coniicere hinc licet, fabularum quoque inventionem apud illos valde esse antiquam. Quo fere ducunt quae de Indico fabularum libro, qui vocatur Hitopadesa, eiusque fonte docuere viri harum litterarum periti: v. Silvestris de Sacy praef. ad Arabicam huius libri interpretationem pag. 2—16, 54—56. cf. quae de fabulis Indicis Heerenus monuit in opere de commercio cet. veterum populorum Vol. II. p. 539. sqq. Ac ceteris quoque in Asia gentibus notae fuerunt istius generis fabulae: certe in Judaeorum sacris libris etiam hodie aliquot exstant, jam pridem illae a viris doctis indicatae: nobilis fabula de arboribus regem sibi creantibus est in libro Judic. IX, 8. sqq. expressitque eam Josephus Jud. Archaeol. V. 7, p. 207; fabula de carduo et cedro legitur Reg. IV, 14, 9. sqq. Paralip. II, 25, 18. Persam Cyrum fabulam narrasse Ionum legatis Herodotus refert I, 141; quae eadem legitur apud Aelian. H. A. I, 39;

Digitized by Google

atque eo fortasse sensu Ἀσσυρίων καὶ Ἀράβων ἐξηγητὰς μύθων καὶ Περσῶν μάγους καὶ Αἰγυπτίων ἱερογραμματεῖς inter μακροβίους recenset Lucianus Tom. III, p. 210. ed. Reiz. Haec omnia ut negari neque possunt neque debent, ita tamen apud Graecos quoque mature et fabulae semina jacta et fabulam ipsam exortam esse haud ita difficili opera demonstrari potest.

Primum enim quoniam in bestiarum usu maximum hujus rei momentum positum est, duplici modo apud Graecos insignes apparent belluarum partes, et in rebus sacris divinisque et in antiquissima poesi epica. Inter ea enim symbola, quibus tecte exprimebant divinas virtutes, praecipuum locum animalia obtinebant, ita ut haud facile insignis aliqua bestia sit, quae non aliquam in illis personam sustineat: quibus imaginibus primi philosophi Graeci, Orpheus inprimis, permultis usi esse dicuntur. Quocum conjuncta est auguriorum et aruspicinae superstitio, qua ex animalium proprietatibus futura divinabantur. Et quum priscis viris fortissimis heroibusque vario modo negotia exhibuissent animalia, in fabulis istius modi locum tenebant praecipuum. Itaque factum est, ut antiquissimi poetae Graeci animalibus saepe usi sint ad exornanda sua carmina: multis Homericorum carminum locis bestiarum agendi rationes cum humanis componuntur, ac nonunquam ita, ut paucis additis verbis fabula conficiatur Aesopia. Praeclara est descriptio leonis irati, quocum componitur Achilles Il. υ, 164. sqq.; gruibus similes dicuntur Troiani Il. γ, init.; avi avolanti Minerva discedens Od. α, 320; sic Il. ρ, 466. sq.

ἵπποις ἀΐσσων ὥς αἰγυπιὸς μετὰ χῆνας.

Il. π, 823. sqq. praeclara leonis imago aprum occidentis, quibuscum comparatur Hectoris et Patrocli certa-

Digitized by Google

men. Similia in Homero multa. Ac plus etiam huc faciunt tales loci, qualis est Il. χ, 262. sqq.

Ἕκτορ, μή μοι, ἄλαστε, συνημοσύνας ἀγόρευε·
ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

ad quem locum monuerunt interpretes omnes, ductam hinc esse notam fabulam Aesopiam, eam puto, in qua lupus inducitur turbatae aquae agnum insimulans. — Cetera hujus generis mitto: unum tamen commemorabo, paullo quidem diversum, sed tamen cognatum. Notissimum locum dico Il. τ, 406. sqq. ubi Hectoris equus Xanthus inducitur loquens mortemque ejus praesagiens: cujus quidem alia ratio est, quam fabulae Aesopiae: est enim divina horum equorum origo:

v. 406: αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.
v. 418: ὡς ἄρα φωνήσαντος Ἐριννύες ἔσχεθον αὐδήν.

Perspexit illud praestantissimus schol. Townl., qui ad eum locum: ἐι θείας, ait, μετέχουσι φύσεως, τί ἄτοπον καὶ φωνεῖν; cf. h. l. Heyn. Nec satis tamen hoc discrimen tenuisse videtur idem ille schol. quum sic pergit: πρῶτος δὲ Ὅμηρος τοῦτο ἐποίησεν, Ἡσίοδος δὲ ἐπὶ τοῦ ἱέρακος, Ἀρχίλοχος ἐπὶ τοῦ ἀετοῦ, καὶ Αἴσωπος ὕστερον κατεχρήσατο. Nec magis cavit Philostratus Icon. I, 3., p. 766; eodem redeunt Theonis verba Progymn. p. 22. ed. Camerar., ubi nolim cum Wyttenbachio ad Plut. Sept. Sap. Conv. p. 158. B. (Tom. VI, p. 971. ed. Wytt.) Homeri mentionem aliunde invectam putare, quamvis accuratus scriptor sit Theo. Diserte ad Homeri locum respexit Aelian. H. A. XII, 3.

Neque tamen negaverim illis scriptoribus ob oculos versatam esse Homericam Batrachomyomachiam, quippe

Digitized by Google

quae tum temporis Homeri ipsius esse ferebatur. [1]) Verum quidquid rei est, multa apud Homerum vestigia esse vidimus, quae ad fabulam Aesopicam facile duxerint conficiendam.

Quocirca nemo mirabitur jam proximum Homero Hesiodum scripsisse fabulam Aesopicam (Ἔργ. κ. ἡμ. 200. sqq.) quae simplex omnino est et genuinae naturae. Inde Hesiodum primum inter Graecos fabula usum esse cum multi dixerunt, tum etiam Quintilianus I. O. V. 11. cf. Prisc. c. 1329. Putsch., alios. Qua de causa Hesiodi discipulus vocatur Aesopus a Plutarcho Sept. Sap. Conv. p. 158. B. [2])

1) Etiam Batrachomyomachia ad fabulas Aesopias dici potest pertinere, quanquam longior est, neque, ut videtur, ad erudiendum, sed ad delectandum ac perstringendum composita. Et quaeri quidem omnino potest, annon quaedam hujus carminis initia et quasi primae lineae ad satis antiquum tempus referendae sint: quod tamen nunc mihi est mittendum. — Obiter animadvertam, Batrachomyomachiam non raro additam reperiri fabulis Aesopiis, ut in venusta edit. Antverp. Christ. Plantini 1567, in edit. Basil. Froben. 1524: in iisdem etiam galeomyomachia subjuncta est.

2) Singulare prorsus est, quod apud Furiam reperi coll. fab. Aes. Tom. I, p. 6. *Hesiodum nonnullos Quintiliano lib. I. Instit. duce ante Aesopi tempora apologos scripsisse existimare.* Quasi vero nonnulli tantum, non omnes, id credant, et Quintiliano tantum auctore, quum ipse Hesiodus supersit. Neque apologos scripsit Hesiodus, sed unum apologum. Sed lapsus praeterea ille est eo quod librum Quintiliani primum dicit, quum quintum deberet. — Miror autem eundem ibid. p. 2. in nota ad Archilochi fabulam ita dicentem: „Ab Aesopo fabulam hanc processisse, tum ex Phaedro, qui eandem senariis versibus retulit I, 28, tum ex Aristophane *aperte colligitur.*“

Digitized by Google

Verum inter Hesiodum et Aesopum plures medii stetere fabularum philosophi, quo nomine Seneca Aesopum vocat; quorum antiquissimus Archilochus est, qui duas fabulas confinxit. Hos quoque Archilochi versus „indignatio fecit“: ira enim in infidum Lycamben stimulatus duplicem fabulam composuit, alteram de aquila et vulpe, alteram de vulpe et simio: quarum argumenta docte et acute investigavit Huschkius in dissertatione saepius nobis laudata.

Post Archilochum praeter Aesopum tres viri in fabula aliquid elaborarunt. Quorum primum nunc quidem mitto, infra cap. XII. pauca de eo expositurus, quum feret dissertationis tenor: Alcmanem dico Crotoniensem, quem invenisse fabulas Aesopias tradit Isidorus Orig. I, 39. Reliqui duo Alcaeus Lesbius et Stesichorus Himerensis sunt poetae lyrici, Aesopi fere aequales. Alcaei tamen fabulae fragmentum tantummodo servatum nobis est, et quidem ab Athenaeo XV, p. 695 A.:

Ὁ δὲ καρκῖνος ὧδ᾽ ἔφη χαλᾷ τὸν ὄφιν λαβών·
εὐθέα χρὴ τὸν ἑταῖρον ἔμεν καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν.

quod ad quam spectat fabulam suae collectioni Coraës inseruit p. 42. Stesichori apologum integrum nobis Aristoteles servavit Rhet. II, 20., pedestri tamen sermone referens numeris certe ab ipso poeta inclusum: Στησίχορος μὲν γὰρ, ἑλομένων στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῶν Ἱμεραίων Φάλαριν καὶ μελλόντων φυλακὴν διδόναι τοῦ σώματος, τἆλλα διαλεχθεὶς εἶπεν αὐτοῖς λόγον, ὡς ἵππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος κ. τ. λ. Notissima haec fabula est, qua equus narratur hominis jugum suscepisse, ut cervum pugna sibi superiorem devinceret, postque perpetuo in jugo ab homine detentus: eam lepide narravit Horatius Epp. I, 10, 34. sqq. — Gelonem tyrannum non Phalarin hac fabula a Stesichoro notatum esse Cono opinatus est Narrat. 42. v. Bentl. Opusc. philol. p. 168.

Digitized by Google

III.

Igitur quum et ante Aesopum et ejus aequales fuerint, qui fabulas finxerunt: Aesopum earum inventorem dici non posse apparet. Sed factum est in hoc litterarum genere, quod in omnibus, ut qui primus egregiam in arte aliqua gloriam prae ceteris esset consecutus, posthabitis ceteris, qui ante eum ejusdem initia posuerant, solus illius inventor diceretur, atque insequente tempore quaecunque in ea ab aliis praeclara praestarentur, nisi diserte additum auctoris nomen esset, [3]) adeum referrentur. Accingamur ergo nunc ad eam disputationem quae versatur in ponderandis ac diiudicandis iis, quae de Aesopi persona vitaque et rebus gestis ab antiquis scriptoribus traduntur. Sed hic plena tenebrarum et errorum sunt omnia. Primum enim omnes, e quibus nostra haurienda nobis sunt, fontes tam parum puri sunt, et sinceri, ut quidquid inde tibi manarit, priusquam in usum tuum convertas, admodum accurate contemplandum sit atque perscrutandum; nec raro ea, quae commode tibi allata putaveris ut egregii ad rem explicandam ponderis futura, tandem ut falsa et ficta abiicienda esse cernas. Qui antiquissimus est de Aesopo testis, Herodotus admodum pauca eaque in transcursu tantum commemorat: cuius utrum in his etiam addubitanda sit auctoritas, quaesitum illud saepius a viris doctis, nos infra videbimus. Praeter paucula Heraclidis Pontici, plurima de Aesopi patria rebusque gestis memoriae prodidere posterioris aetatis scriptores, Plutarchus inprimis et Aristophanis scholiasta, ex iisque Suidas, praetereaque paucissima

3) Imo etiam tum: Archilochi enim fabula ab ipso Aristophane Aesopo tribuitur, quod bene animadvertit ejus scholiasta ad Aves v. 652.

Digitized by Google

Phaedrus, Lucianus, Himerius sophista, Diogenes Laertius: quos omnes historica fide digna nonnulla afferentes, fabulis tamen commentisque futilissimis abundantes, admodum caute consulendos esse nemo est qui neget. Quod quidem maxime in hac quaestione valet, quum Aesopus illo tempore totus vulgi fabula fuerit, ita, ut veritatis perexiguam partem apud illos etiam scriptores servatam habeamus.—Denique vitae Aesopi descriptio exstat a Maximo Planude, monacho non indocto, qui Constantinopoli vivebat, [4]) composita, quae quidem nimis obruta est virorum doctorum conviciis; quam ut quidquam inde expromtum possit fide dignum videri, nisi aliis testimoniis confirmetur. Verum tamen non omnino negligenda est, vel rejicienda, quod fieri hodie solet, sed videndum potius, annon aliquid in hac farragine lateat, quod ad solvenda omnium istarum fabellarum quasi aenigmata aliquantum conferre possit.

Planudem illum (de quo cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. X, p. 533, Harl. Heereni librum Geschichte des Studiums d. class. Litt. Vol. I, p. 233. [5]) revera esse mirabilis

4) Nicomediam, non Constantinopolin, patriam Planudis urbem fuisse, Constantinopoli eum degere tantum solitum esse, nuperrime Boissonadus in Planudis panegyrico in Martyrem Diomedem scriptum reperit. v. P. Ovidii Nasonis Metamorph. l. XV. Graece versi a Max. Planude et nunc primum editi a Jo. Fr. Boissonade 1822. Praefat. p. XII.

5) Heerenus hoc loco conjecturam proposuit peraudacem et omnino non probandam. Putat enim Planudem, sicut Ciceronis, Caesaris, Ovidii scripta, sic Phaedri quoque fabulas Graece convertisse Aesopumque nostrum esse Phaedrum Graecum. Quod quidem per se parum probabile vehementer increpat Schwabius Excurs. ad Phaedr. fab. I, his verbis: „Ut omittam, ne unicam quidem fabulam in

Digitized by Google

illius vitae auctorem credebant omnes, diserte etiam pronuntiaverunt nonnulli, ut Tyrwhittus in praeclara de Babrio dissertatione p. 28. Harl., Jacobsius l. l. p. 281, Coraës praef. ad collect. fab. Aes. p. *α*. sqq. Novissimo tamen tempore pertinaciter negatum est a Francisco de Furia praef. ad fab. Aes. coll. p. VI. sq. Quod quum nec per se tam leve sit ut omnino debeat negligi, et nostrum de hoc libello iudicium proferendi faciat occasionem, breviter perlustremus.

Ac primum quidem hoc Furia obiicit, quod Planudes, monachus doctissimus, non ridiculis fabulis refertam, sed maxime probabilem doctrinaque insignem vitam fuisset scripturus. At vero caveat sibi causidicus, ne suis ipse armis pereat: fuisse enim valde doctum huius vitae descriptionis auctorem, paucis ostendetur. Etenim non solum investiganda ipsi fuerunt quae ab Herodoto, Aristophane, Plutarcho, reliquis, de Aesopo traduntur: fuisse eum servum in insula Samo Xanthi,

---

collectione fabularum Planudea inveniri, quae ipsum Phaedrum habeat auctorem, non pauca in fabula Graeca alio modo narrantur, atque apud Phaedrum invenies exposita. Quae docent vix statui posse fabulas Phaedri a Planude versas esse, ut taceam de aliis.“ Verissima quidem illa: sed tamen de uno momento gravissimo tacere Schwabius non debebat. Minime enim constat revera Planudem collegisse fabulas aut scripsisse: creditum est Neveleto sine auctore dicenti: cui rationis nihil suppeditasse videtur nisi illud quod Planudes vitae Aesopiae auctor esset: certe haec inter gravissimas rationes est, quas Bentleius protulit Opusc. philol. p. 78. ed. Lips.: qua tamen id modo demonstratur (et vix etiam hoc), collegisse Planudem fabulas, non item, scripsisse. Recte hoc animadvertit Jacobsius dissert. de fabulatoribus Graecis in supplem. ad Sulzeri opus de art. liber. Vol. V, p. 281, not. 2.

Digitized by Google

deinde apud Croesum versatum esse, denique Delphis iniusta nece interemtum, id quod iam Bentleius animadvertit l. l. p. 78.; verum alia etiam multa, quae de aliis philosophis Graecis narrata ad suum ille Aesopum transtulit; quorum quidem partem aliquam investigavit ac disposuit iam pridem Camerarius in Aesopi vita, suae fabularum Aesopiarum collectioni praemissa. In qua, eleganter quamvis enarrata, ea quae de Aesopo a veteribus accepimus, minime vir ille magnus ponderare ac diiudicare conatus est, sed quaecunque in Planudea vita Aesopi et Plutarchi Septem Sapientum Convivio nobis fabulae offeruntur, satis illae partim ineptae, retulit, ipse quidem fidei non multum iis habens, sed „ratus (ut fatetur ipse p. 61.) nec utilitate lectionis expertia futura, et iucunditatem nonnullam habitura esse.“ Sed haec in transcursu. Camerarius autem l. l. p. 12. duarum narrationum, quae a Planude referuntur, fontes ostendit: altera enim, qua docetur (Planud. p. 38 — 41.), linguam esse simul optimam simul pessimam hominis partem, desumta est ex Plutarchi Conv. Sept. Sap. 146. f. cf. de auditione p. 38. b., qui tamen easdem argutias Bianti adscribit; altera, qua revocata esse Xanthi uxor narratur, quae a marito discesserat (Planud. p. 37. sq.), confecta est ad simillimam Pausaniae narrationem l. IX, 3. Anacharsidis Scythae dictum, a Diogene Laertio relatum, Bacchum homines primum exhilarare, deinde ebrios, postremum insanos reddere (Planud. p. 47.), idem indagavit p. 20.; fabellam de ebibendo mari (Planud. p. 48. sq.), idem pag. 23. vidit Bianti tribui a Plutarcho (Sept. Sap. Conv. p. 151.). Quae Planudes de Enno, Aesopi filio adoptitio et Aesopo ipso narravit, ab Herodoto (III, 36.) de Cambyse et Croeso referri notavit idem p. 46.; quanquam haec quidem parum inter se similia esse

Digitized by Google

fateor ipse. Adde, quod saepenumero aliorum philosophorum et poetarum locos tangit, ut Platonis (p. 5. ed. Nevelet.) Homeri (p. 2.) Euripidis (p. 25.) [6]) aliorum; et quod genus eius dicendi pro ea, qua vixit, aetate satis est politum. Possint autem hoc genus plura investigari: sed sufficiunt, opinor, ista: patet enim, non solum non indoctum fuisse vitae scriptorem, sed etiam admodum imbutum lectione veterum. Quid? quod non acquievit ille Graecis scriptoribus et Romanis, verum Arabes quoque et Persas compilavit: cuius rei documenta suo loco expromentur. Quae quidem omnia ad quemnam illo aevo melius quadrent, quam ad Planudem, ego me non intelligere ingenue fateor. Neque vero id morari aliquem debet, quod revera multis libellus ille anachronismis et nugis est refertus: temporum enim rationem illo aevo parum aut intelligebant aut curabant, et nugae illae non sunt nisi arguta quaedam et minutula aenigmata, quae, per se quidem paullum inepta, tunc tamen temporis inepta non videbantur, sed acuti potius ingenii esse ac docti.

Videtur autem illud Planudes propositum sibi habuisse, ut, congestis quae apud antiquos scriptores reperisset, ceteris de suo additis, Aesopi ingenium tale describeret, quale tunc homines fuisse putabant; Aesopum non tam sapientem cogitantes quam argutum et ad solvenda aenigmata atque acutissima quaeque respondenda maxime idoneum: igitur non ad artis criticae normas elaboratam historiam Aesopi, sed lepidam aliquam de eius vita narrationem, fabulis, quae vocantur, Romanensibus non dissimilem, contexere in

6) Tam parum temporum rationes Planudes curavit, ut Aesopum Euripidis versus declamantem fecerit: notatus propterea iam a Vavassore de ludicra dict. p. 19., Menagio ad Diog. Laert. I, 72.

animo ipsi erat. — Quae quum ita sint, ista Furiae dubitatione vulgaris opinio non labefactatur, sed potius confirmatur.

Alterum vero quod addidit argumentum haud ita leve videatur. Etenim „Florentini codicis aetas, inquit, tum characteris figura, tum ceteris litterarum ductibus, quibus vetera scripta dignosci solent, ad initium saec. XIII. procul dubio est referenda. In ea vero Graeca Aesopi vita fabulis praemittitur, quae licet aliquanto longior sit edita, ab eaque, verbis praecipue, maxime differat, easdem tamen fabulas easdemque narratiunculas continet, quae in vulgata leguntur. Planudes autem quum saec. XIV. ineunte floruerit, quis non videt illius auctorem minime esse potuisse?“ Ego non video, et fortasse sunt etiam praeter me qui non videant. Ut enim minime nego, Furiam palaeographice doctum e scriptura aliisque indiciis aetatem codicum posse definire, ita non tam accurate puto ista discerni posse, nec tam acutam esse oculorum aciem, ut quinquaginta annis utrum antiquior an recentior sit codicis scriptura, dignoscere queat. Quid multa? non potest codex initio saec. XIII. scriptus esse: nam insunt in eo Theodori Ducae epistolae, qui imperator fuit annis 1255 — 1259, itemque epistolae Nicephori Blemmidae, qui patriarcha designatus est circa annum 1255: est autem codex ab una tantum manu scriptus. Quod ipsum postea Furiam intellexisse puto: nam quum in Florentina editione codicem „ad initium saec. XIII. procul dubio referendum esse“ dixisset, in Lipsiensi editione corrigi iussit: „ad exitum saec. XIII.“ En tibi palaeographicam doctrinam! — Sed praeterea minime negligendum illud est, quod ipse Furia fatetur, alteram illam vitae enarrationem differre multum a vulgata, et aliquot paginis esse longiorem: sed eam

Digitized by Google

vellem descripsisset, ut suis quisque oculis perscrutari posset.

Quodsi patet, non sufficere ea quae Furia protulit ad infringendam codicum auctoritatem omnium et communem fidem, nec feliciter ipsi officiosum conatum cessisse nota monachum liberandi: fatendum est etiam, fide Planudem minime esse dignum. — Aliam autem habemus Aesopi vitam, a nobili Gallo, Bacheto de Meziriac, conscriptam, Germanice versam in Actis philosophorum Vol. II, Part. VIII, Latine ab Hauptmanno, positamque in fronte eius quam idem curavit editionis. Cuius vitae scriptor multa quidem mendacia a Planude expromta reiecit, Camerarium non secutus, et alia, quae de Aesopo narrantur, cautius tractavit, eoque meritus de ipso est optime: verum quum multas illas atque maximas quae occurrunt difficultates intactas praetermiserit, ac vel propterea multa retinuerit, quae reiicienda erant; laboris partem sane non levissimam alii perferendam reliquit. Eius autem ex opera fructum maximum ceperunt Jacobsius, Coraes, Furia: quorum priores de fabulis universe posterioribusque fabulatoribus praeclare haud pauca monuerunt, ipsius autem Aesopi historiam explicare in mente non habuerunt; posterior multis verbis, praeterquam quod nugatorem aliquem πανοπλίᾳ debellavit, suumque codicem descripsit, novi nihil expromsit. Itaque quum Jacobsio et Corai nonnullas ego observationes debeam, plus tamen Bentleio, Tyrwhitto et Huschkio debere me profiteor, idque non tam quod materiam attinet ipsam, quam quod inquirendi, perpendendi, diiudicandi rationem.

Digitized by Google

IV.

Quum mirari nemo debeat, quod de clarissimis quibusque in antiquitate hominibus ingens fabularum tum satis lepidarum tum futilium ineptarumque copia apud posteriores scriptores circumfertur: hoc enim quasi tributum quovis tempore et quavis in terra praeclaro cuique viro solvendum est, ut fere perpetuo in hominum ore versetur vituperantium atque illudentium: illud tamen mirum videri debet, quod prae ceteris in philosophos et poetas, qui tamen plusculum a vitae turbis recedere solent, permagna historiolarum moles est congesta. Cuius rei quum rationem quaerimus, hoc quidem statim occurrit, quod solent fere qui ingenio excellunt admirabili etiam singulare quiddam ac praeposterum innatum habere, quo ad mira ac ridicula peragenda saepe adiguntur; ita ut hominum fabula fiant. Accedit quod prae ceteris philosophi et poetae commune quasi bonum sunt hominum, quippe a quibus scripta eorum etiam atque etiam legantur, atque ex quibus laudes eorum pendeant ac vituperia: unde fit, ut multa de iis narrentur, multa fingantur. Sed est alia quaedam huius rei causa, eaque nondum, quod scio, a quopiam observata. Nimirum inde quod hac ratione arta istis viris cum vita quotidiana coniunctio est ac consuetudo, factum est haud dubie, ut saepissime comici poetae Graeci philosophos et poetas facetiis tetigerint atque eluserint, quin in scenam ipsos induxerint irridendi causa. Cuius quidem rei documenta primum ex antiqua comoedia peti possunt multa. Nam praeterquam quod omnium generum ordinumque viri iocosis acutisque dicteriis in ea perstringebantur, etiam per totam aliquam fabulam partes in scena agere atque irrideri eorum personae sunt coactae.

Digitized by Google

Quis est enim cui non illico ante oculos versetur philosophorum princeps a principe comicorum elusus insigni facetia? Neque Aristophanis tantum aculeos Socrates sensit, verum apud Amipsiam quoque partes sustinebat in fabula, cuius *Κόννος* fortasse index fuit: Diog. L. II, 28. 7) Praeterea Eupolis quoque Socratem perstrinxit, paucis quidem, sed iis acerrimis verbis: v. schol. ad Arist. Nub. 97. 180. Idem Eupolis Protagoram sophistam in scenam induxit, philosophandi eius rationem irrisurus: v. Athen. V, p. 218. c. quo referenda verba sunt Eupolidis apud Diog. L. IX, 50. *Ἔνδοθι μὲν ἔστι Πρωταγόρας ὁ Τήϊος.* cf. Pollucis indicem. Item Solo in scenam inductus a Cratino est in Chironibus (*ἐν Χείρωσιν*, ut mihi quidem scribendum videtur, non *ἐν Χείροσιν*, quod Hermannus quoque edidit ad Arist. Nub. schol. p. 399.): Diog. L. I, 62.: *ἐτελεύτησε δὲ [ὁ Σόλων] ἐν Κύπρῳ βιοὺς ἔτη ὀγδοήκοντα, τοῦτον ἐπισκήψας τοῖς ἰδίοις τὸν τρόπον, ἀποκομίσαι αὐτοῦ τὰ ὀστᾶ εἰς Σαλαμῖνα καὶ τεφρώσαντας εἰς τὴν χώραν σπεῖραι· ὅθεν καὶ Κρατῖνος ἐν τοῖς Χείρωσί φησιν, αὐτὸν ποιῶν λέγοντα·*

Οἰκῶ δὲ νῆσον, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος,
ἐσπαρμένος κατὰ πᾶσαν Αἴαντος πόλιν.

Praeterea Archilochum Cratinus introduxit *ἐν Ἀρχιλόχοις*, quo in titulo, id quod saepe factum, plurali numero utitur pro singulari: v. Diog. L. I, 12. Nicostrati

7) Hoc enim probabili coniectura suspicatus est h. l. Menagius, cum antea *Τρίβων* titulus fuisse putaretur, nec ea displicuisse videtur Hermanno Praef. ad Arist. Nub. p. XXXII. Certe in Conno, qui Socratis in arte musica magister fuerat, Amipsias philosophos perstrinxit: v. Athen. V, p. 218. VII, p. 327, d. IX, p. 368, e. Pollux X, 171. c. not. Hemst. Ceterum Phrynichus quoque Connum fabulam scripsit, eodem fortasse consilio: v. Hesych. v. *ἀεί*. Suid. v. *Φρύνιχος*.

Digitized by Google

Ἡσίοδον laudat Athenaeus VII, p. 301, c., Teleclidis *Ἡσίοδους* idem III, p. 87, a. cet. Sappho poetria a pluribus comicis poetis derisa est: sed illi mediae sunt comoediae, de qua paucis post dicam. Rursus Cratini *Πυθαγορίζουσαν* et *Ταραντίνους*, in quibus Pythagorici perstringebantur, Diogenes memorat Laertius VIII, 39., quo loco proposita Menagii coniectura non satis placet. Sed Alexin etiam *Πυθαγορίζουσαν* scripsisse testantur Athenaeus III, p. 122, f., IV, p. 161, c.; Gellius IV, 11; eundemque *Ταραντίνους* idem IV, p. 134, a., 161, b. cet. Atque omnino Alexis in eo sibi placuit, ut philosophos irrideret, sed tamen, quae mediae comoediae natura est, illos tantummodo, qui praeterito tempore vixerant. Ut vero prisci temporis, etiam mythici, viri eximii argumentis fabularum serendis serviebant, velut Theseus, Ulysses, cet.: sic philosophi quoque antiquiores in media comoedia ridiculas in scena personas agebant. Hinc egregie in Diog. L. VIII, 39. pro *Μνησίμαχος Λαμμαίωνι* sive *Δαλμαίωνι* Menagius emendavit *Μνησίμαχος Ἀλκμαίωνι*, cuius comoediae argumentum Alcmaeo ille Crotoniates Pythagoricus praebuit: eodem pertinet Aristophontis *Πυθαγοριστής*, quem laudat Athenaeus VI, p. 238, f., XIII, p. 563, b., IV, p. 161. Amphis vero in Dexidemide utrum Platonem ipsum in scenam vocaverit, an nonnisi exclamatione quadam irriserit, non satis diiudicari posse videtur ex hisce apud Diog. L. III, 28. versibus:

ὦ Πλάτων,
ὡς οὐδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον,
ὥσπερ κοχλίας σεμνῶς ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς.

In nova autem comoedia rarissime tantum ridere philosophos licebat: tamen Philemo *φιλοσόφους* scripsit, in eaque in Zenonem lepidis invectus est versibus, quos habet Diogenes L. VII, 27. cf. Meineck. Men. et

Digitized by Google

Phil. rel. p. 388. Alexis vero etiam in fabula *Μίνως* (v. Athen. VII, p. 289, f.) per Minois personam philosophos et politicos risisse videtur: ad eamque referenda fortasse est vasis cuiusdam pictura, in qua Minos sedet (adscriptum est enim nomen) ore hiante brachia tendens versus adstantem ante eum hominem, legum tabulas tenentem, qui quis sit non satis patet, neque ex adscripto nomine (*KPIΛ*) enucleari potest: cuius quidem picturae notitiam benigne mecum communicavit praeceptor reverendus, cuius illa est, Heinrichius.

Itaque quum comicis philosophi ridendi materiam toties praebuerint, et quum id esset Graecorum atque inprimis Atticorum ingenium eaque festivitas, ut veritatem parum curantes lepidissimum quodque fingere ac palam eloqui non dubitarent: qui tandem fieri poterat, ut non permulta excogitarentur ad hominum illorum ingenium ac mores prorsus quidem accommodata, ad veritatem nihil omnino: quae a posteris hominibus, leporem a veritate distinguere nescientibus, pro veris certisque habita in sequentia tempora redundarunt, atque a grammaticis et lexicographis denique, satis nonnunquam ineptis, anxie corrasa et cumulata, hodieque a plurimis pro rebus fide admodum dignis venditantur. Cuiusmodi commentorum exempla ex Aristophanis Nubibus petita non est quod multis exponam. Sed memorabile exemplum illud est apud Cratinum de Solone commentum, ossa eius in Salaminem insulam collata esse ibidemque combusta, cineremque per totam insulam esse dispersam: quam „hominum fabulam" Cratinus dixit, neque Plutarchus in Solone extr. fictam esse dubitavit affirmare, cui tamen non Aristides solum in secunda Oratione Platonica fidem habet, sed, Plutarcho quidem teste, Aristoteles ipse. Eadem prorsus ratione fabulosa et ex comicorum qui-

Digitized by Google

dem commentis nata haec mihi videntur, quae de Pythagorae morte suo tempore credita refert Diogenes L. VIII, 39.: ἐτελεύτα δ' ὁ Πυθαγόρας τοῦτον τὸν τρόπον· συνεδρεύοντος μετὰ τῶν συνήθων ἐν τῇ Μίλωνος οἰκίᾳ τούτου, (f. τοῦ πύκτου) ὑπό τινος τῶν μὴ παραδοχῆς ἀξιωθέντων διὰ φθόνον ὑποπρησθῆναι τὴν οἰκίαν συνέβη· τινὲς δ' αὐτοὺς τοὺς Κροτωνιάτας τοῦτο πρᾶξαι (f. add. φασι) τυραννίδος ἐπίθεσιν εὐλαβουμένους. τὸν δὲ Πυθαγόραν καταληφθῆναι διεξίοντα· καὶ πρός τινι χωρίῳ γενόμενος πλήρει κυάμων, αὐτόθι ἔστη, εἰπὼν ἁλῶναι μᾶλλον ἢ πατῆσαι, ἀναιρεθῆναι δὲ κρεῖττον ἢ λαλῆσαι, καὶ ὧδε πρὸς τῶν διωκόντων ἀποσφαγῆναι. οὕτω δὲ τοὺς πλείους τῶν ἑταίρων αὐτοῦ διαφθαρῆναι, ὄντας πρὸς τοὺς τετταράκοντα, διαφυγεῖν δ' ὀλιγίστους, ὧν ἦν καὶ Ἀρχύτας ὁ Ταραντῖνος καὶ Λύσις ὁ προειρημένος. Quas quidem nugas pro sacris vendere cupiunt Jamblichus §. 193., Tertullianus de anima c. 31., quum ab aliis Pythagoras alia morte obiisse dicatur. Iisdem comicis deberi eam arbitror quae in Lyside Tarentino Pythagoreo facta est confusio. Nam quum Cornelius Nepos Epam. 2., Pausanias IX, 13., Cicero de Orat. III, 34., de Offic. I, 44., Diodorus Excerpt. p. 556. ed. Wessel., alii multi, Lysidem Pythagoreum Epaminondae praeceptorem fuisse affirment, qui natus est Ol. XCII, simul vero Lysis coniurationi Cyloneae interfuisse perhibeatur, quae post Ol. LXXII evenisse non potest: triginta certe Olympiades h. e. centum annos et viginti eum vixisse necessario sequitur: nam Lysidem, cum aufugeret, viginti ad minimum annos natum fuisse opus est, totidemque Epaminondam, moriente praeceptore, quem magnos iam tum in philosophia progressus fecisse scriptores affirmant. Quod quoniam statui nequit, Bentleius Opusc. philol. p. 195. ed. Lips. duos Lysides fuisse diversos coniecit. At vero Lysidem ut Epaminondae magistrum fuisse summorum virorum

Digitized by Google

auctoritate confirmatur, ita ipsius Pythagorae discipulum fuisse versatumque esse in Cyloneo periculo exiguae fidei viris creditum est, quippe quod nemo nisi Jamblichus (c. 35.), Porphyrius (§. 55.), Plutarchus (de Socr. Daem. p. 583.) et τινὲς apud Diogenem L. (VIII, 30.) tradant. Quanquam enim per totum, cuius haec narratio particula est, locum Jamblichus Aristoxenum sequitur et Porphyrius Neanthem: tamen et possunt posteriores illi compilatores facile non ita stricte auctores suos secuti esse, ut non aliquid de suo adiecerint, nec, etsi summa illorum esset auctoritas, hac in re quidquam probarent, propterea quod eos qui rem ita referunt, ut simul Pythagorae discipulus simul Epaminondae praeceptor Lysis fuerit, errasse manifestum est: neque vero alteram, quam placet, huius narrationis partem pro vera, alteram, quam displicet, pro falsa habere licet, sed ea tantum vera est credenda, quae aliunde confirmatur: quo fit, ut nullus scriptor dici possit illud de Cylonea coniuratione creditum comprobare, illi potius ipsi Epaminondae Lysin praeceptorem fuisse confirment. Accedit quod Epaminondae aetas omnino historica, Pythagoreorum summopere fabulosa est; quod turbae insectationesque Pythagoreorum diu perdurabant, ita ut ex iis post triginta etiam annos aufugere Lysis potuerit, coniuratio vero Cylonea maxime celebrata inter eas res erat; quod non iidem ab omnibus aufugisse dicuntur; denique quod Pythagorici toties a comicis derisi sunt, ac domus philosophis plena ab irato quodam homine incensa haud leviores spectatoribus cachinnos movere poterat, quam Socratis domus a Strepsiade incensa. Quid? quod Lysis tum temporis tantopere celebratus Pythagoreus erat, ut eadem ratione, qua per Socratem sophistae, per Lysidem Pythagorei perstringi optime possent. Quin adeo in Jamblicho c. 30. de ipso Lyside

Digitized by Google

fabula refertur, quae comici ingenium sapit egregie: Lysin enim cuidam, qui in templum intrasset, amico promisisse narrat se dum ille rediret exspectaturum; quum vero amicus totus in philosophando alia quadam porta exisset, Lysin non solum per totum diem, sed etiam per noctem integram in lapide sedisse immotum; atque insequenti tandem die quum amico id quod Lysis pollicitus erat in mentem revenisset, eum ab amicis esse reductum. Sed haec fortasse copiosius disserui. Est autem veri non dissimile, ea quae de Sappho poetria ficta atque credita sunt indigna, magna ex parte comicis deberi poetis, a quibus in scenam prodire haec quoque iussa est non semel.

Jam vero, ut quo haec consilio conscripserim pateat, Aesopus quoque in numero elusorum a comicis hominum est referendus. Haec enim Athenaeus X, p. 431, a. *Οὐκ ἀγλαφύρως δὲ Λύσανδρος ὁ Σπαρτιάτης, ὥς φησιν Ἡγήσανδρος ἐν Ὑπομνήματι, τὸν οἶνον ὑδαρῆ πωλούντων τῶν καπήλων ἐν τῷ στρατοπέδῳ, κεκραμένον ἐκέλευσεν αὐτὸν πωλεῖν, ἵνα ἀκρατέστερον ὠνοῖτο. τὸ παραπλήσιον καὶ Ἄλεξις εἴρηκεν ἐν Αἰσώπῳ οὕτως·*

Αἰσ. Κόμψον γε τοῦτ' ἐστὶν παρ' ὑμῖν, ὦ Σόλων,
ἐν ταῖς Ἀθήναις δεξιῶς θ' εὑρημένον.
Σ. τὸ ποῖον; Α. ἐν τοῖς συμποσίοις οὐ πίνετε
ἄκρατον. Σ. οὐ γὰρ ῥᾴδιον· πωλοῦσι γὰρ
ἐν ταῖς ἁμάξαις εὐθέως κεκραμένον,
οὐχ ἵνα τι κερδαίνωσι, τῶν δ' ὠνουμένων
προνοούμενοι τοῦ τὰς κεφαλὰς ὑγιεῖς ἔχειν
ἐκ κραιπάλης. τοῦτ' ἔσθ', ὁρᾷς, Ἑλληνικὸς
πότος, μετρίοισι χρωμένους ποτηρίοις
λαλεῖν τε καὶ ληρεῖν πρὸς αὐτοὺς ἡδέως·
τὸ μὲν γὰρ ἕτερον λουτρόν ἐστιν, οὐ πότος,
ψυκτῆρι πίνειν καὶ κάδοις, θάνατος μὲν οὖν.

Itaque Alexis, idem ille, quem philosophis ridendis

Digitized by Google

egregie delectatum esse supra vidimus, comoediam composuit, in qua primas partes Aesopus sustinebat: cuius fabulae hanc tantum particulam servatam esse dolendum est vehementer. Solonis in ea cum Aesopo colloquium fuisse, ac non Athenis actum in scena esse, sed alio loco quopiam, e verbis *παρ' ὑμῖν, ὦ Σόλων* colligitur: quae vero acta fuerint, et qua ratione Aesopus comoediae argumentum suppeditare potuerit idoneum, nescitur. Neque tamen soli Alexidi iocandi materiam ille praebuit; sed praeter eum et Plato comicus his eum versibus tetigit, quos a schol. Arist. Av. 471. servatos emendavit Kusterus ad Suid. v. *Αἴσωπος.*

Καὶ νῦν ὅμοσον τὸ σῶμα μέν μου τεθνάναι,
ψυχὴν δ' ἐπανήκειν, ὥσπερ Αἰσώπου ποτέ.

et pluribus locis eas quae de Aesopo narrationes in hominum ore circumferebantur, Aristophanes respexit: quos suo tempore commemorabo: nunc lepidum illud commentum apponam, quod apud eum est in Vesp. 1401. Brunck.

Αἴσωπον ἀπὸ δείπνου βαδίζονθ' ἑσπέρας
θρασεῖα καὶ μεθύση τις ὑλάκτει κύων·
κἄπειτ' ἐκεῖνος εἶπεν· Ὦ κύον, κύον,
εἰ, νὴ Δί', ἀντὶ τῆς κακῆς γλώττης ποθὲν
πύρους πρίαιο, σωφρονεῖν ἄν μοι δοκοῖς.

Vides, comicos Graecos pulcre perspexisse, quam aptum Aesopi ingenium comoediis locum suppeditaret; nec mirabimur ergo, si in iis etiam, quae de Aesopo a veteribus referuntur, fabularum copiam satis magnam latere videbimus.

V.

Ac deteguntur istiusmodi commenta vel si obiter inspicies eas quae feruntur Aesopi vitae. In ea enim, quae in Aphthonii progymnasmatis exstat, Athenis Aesopus servus fuisse perhibetur Demarchi cuiusdam, τοῦ

Digitized by Google

καλουμένου Χαρασία [8]): quo facit quod Pisistrati aetate Athenis eum commoratum esse Phaedrus dicit I, 2.

Athenae quum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit,
Frenumque solvit pristinum licentia:
Hic conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem servitutem flerent Attici,
— — — — — — — —
Aesopus talem tum fabellam retulit.

Idque confirmari eo videtur, quod statuam Aesopo Athenienses posuerunt a celebri artifice Lysippo elaboratam: id quod testatur Agathias epigrammate quod est apud Brunckium Anal. Vol. III. p. 45. ep. XXXV. (cf. Schaef. mel. crit. p. 33. 97. 100.).

Εὖγε ποιῶν, Λύσιππε γέρων, Σικυώνιε πλάστα,
δείκελον Αἰσώπου στήσαο τοῦ Σαμίου
ἕπτα σοφῶν ἔμπροσθεν, ἐπεὶ κεῖνοι μὲν ἀνάγκην
ἔμβαλον, οὐ πειθὼ, φθέγμασι τοῖς σφετέροις·
ὃς δὲ σοφοῖς μύθοις καὶ πλάσμασι καίρια λέξας
παίζων ἐν σπουδῇ πεῖθει ἐχεφρονέειν.
φευκτὸν δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις· ἡ Σαμίου δὲ
τὸ γλυκὺ τοῦ μύθου καλὸν ἔχει δέλεαρ.

---

8) In cod. Casinensi sic scripta nomina sunt: *Τιμάρχῳ τῷ καλουμένῳ Κουρσίᾳ*, quod notavit Furia praef. p. III. *Τίμαρχος* ex male pronunciato *Δημάρχῳ* fortasse ortus. *Zemarchum* Meziriacus vocavit, quod nihil est: ab eo tamen imponi sibi passus est Baylius lex. hist. crit. v. Aesopus. Sed neque *Κουρσίας* neque *Χαρασίας* nomen probum est. Scribendum esse *Δημάρχῳ τινὶ καλουμένῳ Χαραξίᾳ*, ita ut *δήμαρχος* magistratus Atheniensis designetur, admodum probabilis viri illustrissimi, Niebuhrii, sententia est.

Digitized by Google

Nec Phaedrum hoc fugit, qui lib. II. epil. ita dixerit:

Aesopo ingentem statuam posuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in basi.

Hinc Aesopi aetatem enucleare conatus est Larcherus Chronol. Herod. Vol. VII. p. 541. 621. Nam quum Pisistratus quarto Ol. LIV anno arcem occupaverit, eodemque tempore Aesopus illam fabulam retulerit: mori hunc ante eum annum non potuisse ratiocinatur; et quum Ol. LIV mortuum esse Aesopum plurimi referant, id quod statim exponetur, hoc ipso anno eum obiisse. Ego vero ut Athenas Aesopum Pisistrati aetate venisse concedam, iis quae protuli non adducor. Etenim quoniam inter tam multos homines summopere credulos ne unus quidem Athenis quoque Aesopum versatum esse commemoravit, celeberrima urbe gloriaque per totum terrarum orbem florente, atque ipsum Planudem hoc fugit, mendaciorum textorem aptissimum: num homuncioni nescio cui hoc affirmanti credemus, qui tanto ab Aesopo temporis intervallo distabat, ut vagas tantum atque incertissimas fabulas captare potuerit? — Nec vero eo quod etiam nomina heri addita sunt, quidquam probatur: noverat enim, opinor, quisquis illud commentus est, mendacia ut fidem sibi faciant, veritatis speciem prae se ferre debere; poetae certe ideoque etiam comici quaecunque fingunt, accurate ac definite fingunt. Phaedri autem versus incertae sunt omnino auctoritatis. Nam profecto infitiabitur nemo, Aesopum certas quasdam invenisse fabulas non propterea credendum nobis esse quod Phaedrus antiqui fabulatoris nomine eas insigniverit. Meminisse debebat Larcherus ipsius Phaedri verborum (prol. ad lib. V.), quibus quo illud consilio fecerit, ingenue fatetur:

Digitized by Google

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iampridem quidquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelem suo,
Trito Myronem argento.

Ac notatus est propter id ipsum Larcherus a Wyttenbachio ad Plutarch. Tom. IV, p. 934. Eodem autem errore lapsus est Fabricius Bibl. Gr. Tom. I, p. 619. Harl.

Neque vero statua posita scriptoque in ea epigrammate quidquam putes comprobari. Profecto enim nihil erat quod Athenienses, ingenium Aesopi ac praeclaram virtutem colentes, ei, etsi nunquam Athenis versatus erat, statuam non ponerent. Pythagorae atque Alcibiadi Romani statuas posuerunt, qui tamen Romam venerant nunquam; Beroso Athenienses (Plin. H. N. VII, 37.), qui ne Graecus quidem fuit. Fac autem ipsos illud Athenienses affirmasse, ne hoc quidem aliquid fidei habebit: nullam enim gentem gloriae suae sic consuluisse ut Athenienses, qui celebratissimos quosque fama viros in sua quoque urbe aliquamdiu esse commoratos comminiscerentur, quis est qui ignoret? Atque in Aesopo id quoque causae erat, non solum quod cum Solone collocutus esse ferebatur, sed etiam quod Croesus, quocum consuetudinem Aesopo intercessisse narrant, Pisistrato regnante legatos Athenas miserat (v. Herod. I. 59.). Fide autem indignum illud esse inde quoque collegeris, quod qui fabellas undique solet studiose corradere, ne Suidas quidem huius rei mentionem fecit v. *Αἴσωπος*: cuius verba quoniam quae de Aesopo et vera et falsa narrantur, fere omnia continent, integra adscribam: *Αἴσωπος Σάμιος ἢ Σαρδιηνός*

Digitized by Google

Εὐγείτων δὲ Μεσημβριηνὸν εἶπεν, ἄλλοι δὲ Κοτυαέα Φρύγα. ἐγένετο δὲ λογοποιός, ὅ ἐστιν εὑρετὴς λόγων καὶ ἀποκριμάτων. διέτριψε δὲ παρὰ Κροίσῳ φιλούμενος, τοῖς χρόνοις πρὸ Πυθαγόρου. ὃς μεσοῦν ἐπὶ τῆς μ Ὀλυμπιάδος. ἔγραψε δὲ τὰ ἐν Δελφοῖς αὐτῷ συμβάντα ἐν βιβλίοις β. μᾶλλον δέ τινές φασι τὸν Αἴσωπον ἀποκρίματα γεγραφέναι μόνον· ἐν γὰρ Δελφοῖς ἀδίκως ἀπολέσθαι ὑπ' αὐτῶν ἀποκρημνισθέντα ἀπὸ τῶν Φαιδριάδων καλουμένων πετρῶν κατὰ τὴν νδ Ὀλυμπιάδα· οἰκέτην δὲ γενέσθαι Ξάνθου τοῦ Λυδοῦ· ἄλλοι ἀνδρός τινος Σαμίου Ἰάδμονος, οὕτινος καὶ ἡ Ῥοδῶπις δούλη ἦν, ἣν ἑταίραν γενομένην, Θρᾷσσαν τὸ γένος, Χάραξος ὁ ἀδελφὸς Σαπφοῦς ἔλαβε γυναῖκα καὶ ἐξ αὐτῆς γεννᾷ. Vides ipsum Suidam quam sint omnia incerta intellexisse, quum tam multas tamque diversas hominum opiniones protulerit, ac multa ad confusas fabulas redigi haud obscure significaverit verbo φασί. Verum in ipsis eius verbis corruptela quaedam est manifesta: nemo enim ὃς μεσοῦν quid sit videbit. Quae quidem Scaliger ad Euseb. Chron. p. 92. tacitus ita correxit: ὃς μεσούσης τῆς μ Ὀλ. ἔγραψε τὰ ἐν .... Verum hoc vehementer displicet: ὃς enim quum ex structura ad Πυθαγόρου referendum sit, omnia perturbantur. Neque difficultates omnes tollit Kusteri opinio, qui legendum coniecerit ὥστε βιοῦν ἐπὶ ..... nam propter verbum διέτριψε non βιοῦν, sed βιῶναι scribendum fuit. Mihi sic emendari locus difficilis videbatur, ut scriberetur διέτριψε —, τοῖς χρόνοις πρὸ Πυθαγόρου, ὡς μὲν ἦν ἐπὶ τῆς μ Ὀλ.: saepius enim ita Suidas aetatem constituit, ut v. Ἀλκμάν· ἦν δὲ ἐπὶ τῆς κζ Ὀλ. Attamen praeferendam viri illustrissimi, Niebuhrii, emendationem puto, quam hisce iam perscriptis benignus mecum communicavit: qua quidem ἤκμασεν legendum est pro ὃς μεσοῦν. Itaque quadragesima Olympiade Aesopum floruisse testatur Suidas, ad quod bene quadrant haec: τοῖς χρόνοις

Digitized by Google

πρὸ Πυθαγόρου· diversum pro more auctorem sequitur in eo quod Ol. LIV. necatum eum esse dicit; nisi forte ἐπὶ τῆς ν Ὀλ. legendum. Certe quinquagesima eum Olympiade floruisse affirmat Diogenes L. I, 80.; Eusebius ad Ol. LIV.: Αἴσωπος ὁ μυθοποιὸς ὑπὸ Δελφῶν ἀπώλετο. Ita certe Armenius interpres: Syncellus vero Αἴσ. ὁ μυθ. ἐγνωρίζετο, ὃς ὑπὸ Δελφῶν ἀπώλετο: sed genuinum testatur interpres latinus: „Aesopus interimitur a Delphis." Concinit Cedrenus compend. hist. p. 128. l. 50. Ex quibus testimoniis qui certum mortis annum exputare praeter Larcherum studuerunt, Petavius et Corsinus, Fast. Att. Vol. III, p. 85. 93., annum Ol. LIV. ponunt primum.

VI.

Hoc de quo iam egimus commento notius multo est illud, Aesopum admodum deformem fuisse: quae quidem fabula tam late percrebuit, ut in proverbium paene abierit. En tibi ridiculam eius a Planude descriptam imaginem: ἐτύγχανε δ' ὢν οὐ μόνον δοῦλος, ἀλλὰ καὶ δυσειδέστατα τῶν ἐπ' αὐτοῦ πάντων ἀνθρώπων εἶχε· καὶ γὰρ φοξὸς ἦν, σιμὸς τὴν ῥῖνα, σιμὸς τὸν τράχηλον, πρόχειλος, μέλας· ὅθεν καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε (τὸ αὐτὸν γὰρ Αἴσωπος τῷ Αἰθίοπι)· προγάστωρ, βλαισὸς καὶ κυφός· τάχα δὲ τὸν Ὁμηρικὸν Θερσίτην τῇ αἰσχρότητι τοῦ εἴδους ὑπερβαλλόμενος. Monstrum profecto horrendum et informe, quale nescio an nunquam exstiterit. Sed iam pridem pro Aesopo viri aliqui docti et acuti pugnarunt; quorum primarius, ut ipse olim Apollo, qui necatum eum a Delphis ultus est, Bentleius, vir summus, in dissertatione de fabulis Aesopi, Opusc. Phil. p. 79. sqq. ed. Lips., fortissime monachum aggressus est. Ac primum quidem hoc illi opponit, a nullo ante ipsum scriptore deformitatem Aesopi vel leviter significari;

Digitized by Google

in Plutarchi Convivio, ubi multa iocose dicta, tamen ne verbo quidem eius faciem rideri, quamvis lascive Socrates irrideatur in Platonis Convivio. Quod verum est quidem in universum: sed reperiuntur tamen aliqua huius fabulae vestigia Planude multo antiquiora. Excitavit contra Bentleium Huschkius dissert. de fab. Archil. p. 8. Himerium sophistam, Orat. XIII, 5., p. 593.: *φασὶ δὲ καὶ Αἴσωπον τὸν λογοποιὸν τὸν Φρύγα, οὐ μὴ ὅτι τοὺς λόγους τινὰς ἀλλ' ἤδη καὶ αὐτὸ τὸ πρόσωπον καὶ τὴν φωνὴν γέλωτα καὶ χλεύην ἤγηντο, γενέσθαι μὲν πάνσοφον καὶ διὰ τεῦτο ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος.* At vero hisce Himerii verbis deformem Aesopum fuisse omnino non comprobatur, sed hoc tantum, faciem eius ac vocem risum commovisse hominibus: multi vero homines inveniantur, qui quanquam eo sint vultu ut risum tenere non possis, tamen deformes non sunt: hoc autem ex natura fabularum, acutarum simul et ridicularum, egregie fictum esse apparet. Prorsus alienum est quod e Plutarchi Convivio Sept. Sap. 152. adscripsit Coraës praef. p. β, quo loco iocans Solo Aesopum alloquitur: *σὺ δὲ δεῖνος εἶ κοράκων ἐπαΐειν καὶ κολοιῶν, τῆς δὲ σοῦ φωνῆς οὐκ ἀκριβῶς ἐξακούεις·* his enim verbis Aesopum Solo perperam intellexisse oraculum coarguit. Quae vero „Stobaei serm.“ verba Furia allegat praef. p. IV. haecce: *Ὁ αὐτὸς ὀνειδιζόμενος, ὅτι χαλεπὴν ἔχει τὴν ὄψιν, ἔφη· μή μου πρὸς εἶδος ἀλλ' εἰς τὸν νοῦν πρόσεχε·* me quamvis laboriose quaerentem in Stobaeo nusquam reperisse fateor: sed iisdem fere verbis Planudes retulit vit. Aes. p. 57. ed. Nevel.: quare lapsus esse Furia potest, quum praesertim Stobaei locum non accurate citaverit. Sed hoc certe apparet, iam primis post Chr. n. saeculis aliquam de ridicula Aesopi facie narrationem circumferri coeptam esse, sed eam multo modestius fictam, quam quae apud Planudem exaggerata legatur,

Digitized by Google

qui ut cetera omnia ita hoc quoque cupide arreptum sophistarum et rhetorum more amplificavit, et, quod est sequiorum saeculorum vitium, multis verbis inanibus exposuit. Quid vero faciam Aesopi imagini, quae expressa ex marmore Albaniorum (v. Viscontii Iconogr. Gr.), in fronte editionis Corais posita est, non satis exploratum habeo ipse: id ad primum secundumve post Chr. n. saeculum referendum esse, Vir illustris, Niebuhrius, mihi asseveravit, qui ipse illud vidit: sed an additum Aesopi nomen sit non meminit; neque adest Viscontii opus: et si est, a quonam et quo iure, hoc vehementer dubito: potest enim esse Thersitae.

Sed utut hoc est, priore aetate Aesopi faciem non esse cogitatam deformem, evincit Bentleius primum eo, quod statuam posuerint Athenienses: at si tale monstrum ille fuisset, non honoris sed deformitatis monumentum futuram eam fuisse; melius certe consultum fuisse eius memoriae, si eam solam reliquissent. Quod quidem etiam manifestius est, si ingentem fuisse statuam reputes: quam lectionem Bentleius in Phaedro l. l. reiecit quidem, sed iniuria. Quanquam hoc fortasse non inepte aliquis dicat, Athenienses effigiem Aesopi si statuere voluerint, formosam statuere debuisse, etsi ipse turpis fuisset, propterea quod Graecum erat nihil turpe fingere. Sed praeterea Bentleius multa acute et docte disputavit, ex quibus manifesto apparet postremorum saeculorum fraus: inter quae hoc est admodum probabile argumentum, quod Philostrato ea fabula ignota prorsus fuit: is enim quum Aesopi imaginem depingit (Icon. p. 735.), deformitatem non solum non tangit, sed pulcram quoque formam describit. Adde quod nec Phaedrus eam noverat, qui quamvis multas de Aesopo fabellas referat ac fingat, illam tamen nusquam vel verbo tangit: nec magis Plutarchus: aliena sunt enim ea quae in-

Digitized by Google

dagavit Coraës. Igitur primus tale quid Himerius perceperat, saeculi quarti, et fortasse Stobaeus, saeculi sexti scriptor. In Himerio autem videor mihi commentum illud nondum omnibus creditum invenire: neque enim mihi persuadeo incorrupta haec verba esse: *οὐ μὴ ὅτι τοὺς λόγους τινὰς, ἀλλ' ἤδη καὶ αὐτὸ τὸ πρόσωπον καὶ τὴν φωνὴν γέλωτα καὶ χλεύην ἤγηντο.* Nam quid sibi volunt *οἱ λόγοι τινές,* articuli et definitus et indefinitus uni eidemque nomini adiuncti? et cur nonnulli tantum apologi, cur non omnes risum commovebant? denique quorsum *ἤγηντο*? si vere ridiculae erant Aesopi fabulae et facies, non putabant esse ridiculas, sed sentiebant ac videbant. Quamobrem ego quidem *ὅτι τοὺς λόγους τινές.....*, non *τινάς* legendum esse censeo: quanquam nec Wernsdorfius nec Huschkius, qui locum descripsit, corruptelae quidquam odorati sunt. Itaque haec erit sophistae sententia: „cuius non solum fabulas, sed faciem quoque et vocem ridiculam nonnulli putabant."

Scripsit dissertationem Freytagius, qua istam de deformitate fabulam ad examen vocavit: qui tamen praeterquam quod multa sed ea non magni ponderis contra illos disputat, qui exstitisse unquam certum quendam Aesopum negarunt, in ipso illo commento refutando praeter Bentleii rationes quod alicuius momenti sit affert nihil. Ita quum frustra diu quaesitus, absoluta demum mea scriptione, libellus ille in manus incidisset, eam quam conceperam spem fefellit. Illud autem quis statuerit, ex Socratis imagine, quae est in Platonis Theaeteto, Aesopi formam esse descriptam, non meminisse me fateor: nec multum refert: nihil enim opus ea est coniectura, quum qua ratione quoque tempore illud exortum sit commentum pateat.

Jam hisce aliam quandam fabulam addere placet,

Digitized by Google

quae apud quosdam legitur, mirabilem dictu, Aesopum a Delphis interemtum revixisse atque ad Thermopylas pugnasse. Testis est Suidas vv. *Αἴσωπος* et *ἀναβιῶναι*, auctorem afferens Platonem comicum, quem in comoedia *Λάκωνες* hoc esse iocatum ex schol. Arist. Av. 471. Brunck. eodem ad Vesp. 1256. discitur: utroque loco corruptos versus ita emendavit Kusterus ad Suid. l. l.:

Καὶ νῦν ὅμοσον τὸ σῶμα μέν μου τεθνάναι,
ψυχὴν δ'ἐπανήκειν ὥσπερ Αἰσώπου ποτέ.

Plato quidem hoc tantum commemorasse videtur, non item illud, ad Thermopylas Aesopum pugnasse: Ptolemaeus Hephaest. apud Phot. bibl. cod. 252.: *Αἴσωπος ἀναιρεθεὶς ὑπὸ Δελφῶν ἀνεβίωσε καὶ συνεμάχησε τοῖς Ἕλλησι περὶ Θερμοπύλας.* Hinc idem apud proverbiorum scriptores legitur. Cuius quidem fabulae causam Camerarius vit. Aes. p. 61. hanc fuisse dicit: „Fertur et hoc observatum fuisse Delphis, terribilem quandam veluti manium Aesopi speciem, qua dies atque noctes exagitarentur, conscientia scelerum hanc imaginem sibi fingente, vel etiam divinitus illa excitata. Ex eo autem fama sparsa fuit, Aesopum revixisse atque hunc a diis honorem habitum sapientiae et pietati illius, quod et de Hercule et Glauco et Alcestide fabulae tradidere.“ Ego vero nullo scriptoris cuiusquam testimonio eam quam Camerarius hic retulit de circumvolitantibus Aesopi manibus fabulam narrari dico, confictamque a viro ingenioso puto eo consilio, ut pestem, quam Apollo iniecisse fertur, oraculumque, redimerent Aesopi animam, interpretaretur: quod tamen non satis apte institutum videtur. Quod autem mihi in mentem venit in causa fuisse, ut singulare illud confingeretur, non celabo. Quoniam enim Plutarchus Solon. p. 81. Pataecum quendam narrat esse gloriatum, Aesopi sibi inesse animam, eam iactatiomem *κωμικῶς* perstrinxisse

Digitized by Google

Platonem puto idque a credulis Graecis cupide arreptum in eiusmodi narratiunculam abiisse: cetera sive tum statim adiecta esse, sive, ut fieri solet, postea ab homine aliquo ingenioso vel potius vano addita. Falsum est autem, quod ex hoc commento commentus est Fabricius Bibl. Gr. T. I. p. 628. Harl., scripsisse Pataecum fabulas Aesopicas: id quod recte negat Tiedemannus in libro de primis philosophis Graecis p. 117.

VII.

Breviter nunc aliam quaestionem pertractabo, gravissimis atque acutissimis viris agitatam, scripseritne fabulas suas Aesopus, an coram hominibus tantummodo recitarit.

Animadvertit iam pridem Burmannus ad Phaedrum l. I. prol. Aesopias fabulas potius quam Aesopi esse vocandas: quod idem sensisse puto recentiores viros doctos, qui Aesopias fabulas non Aesopi ediderint. Neque tamen qui affirmarent eum scripsisse deerant. Qui quidem praeter alias quasdam rationes etiam diserta haecce Aphthonii progymn. *περὶ μύθου* verba proferebant: *τῷ τὸν Αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους·* itemque haec Suidae: *μᾶλλον δέ τινές φᾶσιν ἀποκρίματα μόνον γεγραφέναι.* Isti vero postremorum temporum scriptores parum accurati quam exigua censendi auctoritate sint, neque quod moneatur opus est, et si quem tamen istae nugae morentur, consulat Wolfium prol. p. LXVIII.

Qui primus, quantum ego sciam, argumenta protulit ad refutandam opinionem tum vulgarem, scripsisse Aesopum, Bentleius, l. l. p. 72. primum hoc proponit, apud Aristophanem (Vesp. 1251. Brunck.) in convivio senem fabulas Aesopicas non e libro discere:

Αἰσωπικὸν γελοῖον ἢ Συβαριτικὸν,
ὧν ἔμαθες ἐν τῷ συμποσίῳ.

False autem Suidam v. *πατῆσαι* (v. idem v. *ἀμάθητος*) et Erasmum interpretari alium Aristophanis locum Av. 471. Br.

ἀμαθὴς γὰρ ἔφυς κοὐ πολυπράγμων, οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας.

verbum *πεπάτηκας legisti* vertentes, cum vertendum *trivisti* fuisset. [9]) Alterum quod expromit argumentum illud est, Socratem primum Aesopicas fabulas versibus inclusisse: eum autem non commemorare librum, sed scripsisse se dicere quas nosset fabulas, quarumque primum potuisset recordari. Verba sunt Platonis Phaedone p. 61. b. *οὓς προχείρους εἶχον καὶ ἠπιστάμην μύθους τοὺς Αἰσώπου, τούτων ἐποίησα οἷς πρώτοις ἐνέτυχον.* [10]) Quibus ex verbis hoc apparet, Socratem libro non esse usum; illud non apparet, Socratis aetate fabularum libros omnino non exstitisse. Neque enim mireris, quod Socrates in carcerem coniectus, librisque omnibus certe destitutus, fabulas, quas numeris includeret, e memoria depromsit. Non latuit hoc Tyrwhittum qui dissert. de Babr. p. 33. sq. ed. Harl. ea ratione Bentleii argumentum infregit. Ipse tamen fuisse scriptos libros omnino non ostendit: id quod bene vidit Huschkius diss. laud.

---

9) Significari verbo *πατεῖν bene nosse aliquem vel alicuius mores et ingenium*, ex simillimo proverbio patet, quod apud Suidam est v. *Ἀρχίλοχος· Ἀρχίλοχον πατεῖς*, et quod ita ipse explicat: nosti Archilochi morem, eius more loqueris, i. e. acerbe. Igitur *Αἴσωπον πεπάτηκας* est *Aesopum* i. e. *fabulas Aesopicas nosti*

10) Idem Plutarchus commemorat de audiend. poet. p. 16. c. (ubi recipienda Wyttenbachii emendatio est *ἐνήρμοζεν* pro *ἐνόμιζεν*, temere improbante Graefenhanio ad Aristot. poet. c. 1. p. 21.) Cf. Augustin. de consens. Evang. I, 12. (Opp. T. III. P. II. p. 5, d.), Suidas v. *Σωκράτης*, Diog. Laert. II, 42. Avian. praefat. ad fabulas.

Digitized by Google

p. 7. Tyrwhittus autem quum addebat: „Aesopum ipsum fabulas soluta oratione scriptas reliquisse cur dubitemus, non video“ non satis circumspecte dixit. Namque non uno nomine simillimum veri est, Aesopum scripti nihil reliquisse.

Etenim quod iam pridem vir doctus animadvertit in Actis philos. Vol. I. p. 960. sqq. accuratissimi quique scriptores veteres nunquam dicunt, scripsisse singulas fabulas Aesopum, vel, scriptas eas legi; semper dicunt narrasse eum hominibus. Plato enim, Aristoteles, Aristophanes, qui multa Aesopi dicta retulerunt, et ii qui saepe aliorum auctorum scripta etiam spuria commemorant, Diogenes Laertius, Plutarchus, Athenaeus, Libanius, Julianus, alii, nullum Aesopi scriptum laudant; atque Phaedrus quoque semper de narratis coram hominibus fabulis loquitur, ut I, 2, 29:

Aesopus talem tum fabellam retulit.

cf. I, 3, 3; 6, 2; 10, 3. III, prol. 3. sqq. 3, 14; 5, 2; 14, 19; IV, 4, 29; 16, 2; 20, 4. Quod vero illud, quo Herodotus II, 134., Diog. Laert. I, 69. 72., alii, utuntur, vocabulum λογοποιὸς interpretantur *fabularum scriptor*, non recte faciunt, quum nihil nisi *is qui fabulas comminiscitur* eo significetur, non item *qui scripsit*. Accurate, atque, ut videtur, consulto Plinius XXXVI, 12. Aesopum *fabularum philosophum* dixit, non *scriptorem*. Consentiunt Gellius II, 29., Macrobius Somn. Scip. I, 2., qui non librum fabularum Aesopi laudant sed acceptas eas ex hominum ore esse significant.

Accedit autem aliud, ad quod nemo, quantum scio, adhuc animum attendit. Nimirum de scriptionis apud Graecos initiis nostra demum aetate accuratius quaeri coeptum est. Qua de quaestione perquam difficili ut diverse sentiant periti, satis certe illud constat, artem scribendi Solonis demum aevo, ac vel tum paula-

Digitized by Google

tim, communem in usum venisse, quum initio nonnisi praeclarissima quaeque et gravissima litteris consignarentur. Jam vero hoc mihi observa, Aesopum fabulas suas conscripsisse quam parum veri sit simile. Neque enim ars fuit illo tempore conficiendorum apologorum: sed occasione oblata quum ad dicendum erat ventum, de ingenio ex tempore ille apologum fingebat, eoque persuadere auditoribus studebat. Qua quidem ratione priore aetate fabulis Graeci semper usi sunt, ut Stesichorus contra Phalaridem agens (Arist. Rhet. II, 20), Demosthenes ad plebem dicens (Isidor. Orig. I, 39. Suidas v. *ὄνου σκιά*), itemque apud Romanos Menenius Agrippa (Liv. II, 33), reliqui. Ista vero lepidas narrationes fingendi facultas, quae tota in vitae usu cernebatur, nemini ars videri poterat ita egregia ac divina, ut quae litteris recentibus ad posteritatis memoriam traderetur esset digna, vel propterea quod numeris poeticis et omni ornamento omnibusque poetarum illecebris carebant, ideoque communi loquendi rationi propiores esse videbantur, fictionis tantum, ut Macrobius dicit, elegantia illustres: solutam vero orationem multo serius quam poesin a Graecis esse excultam constat inter omnes; ac paulo superior Aesopi aetas eo tempore fuit quo vel ea quae versibus conclusa non essent, digna quae scriberentur habita sunt. Quae quidem non parum confirmantur primum his Eusebii verbis Praep. Evang. X, p. 468. a. *σπάνια δὲ τὰ τῶν πρὸ τοῦ Πλάτωνος γεγονότων (φιλοσόφων) βιβλία*· deinde eo quod priore tempore scripta quaeque a Graecis despiciebantur, nec postea deerant, apud quos ea tantum in pretio essent, quae per ora ferebantur atque cantabantur: v. Plat. Phaedr. p. 274. sq. Themist. Orat. XV, p. 361. sq. Petav. Quae quum ita sint, apparet rectius multo eos iudicasse, qui scripsisse quidquam Aesopum negarunt, quam Tyrwhittum, qui ne dubitandum quidem esse

Digitized by Google

hac de re opinabatur: quanquam assentientem hic habuit Wyttenbachium ad Plat. Phaedo. comment. p. 123. sqq.: inter illos fuit Gatakerus, vir suo tempore clarissimus, de Stilo N. T. XXIII, p. 123. sq., XXX, p. 137, E. (Opp. crit. Traiect. 1698. fol.), fuerunt Iacobsius diss. laud. p. 278., Fabricius Bibl. Gr. Tom. I, p. 625. Harl., iisque assentitur Furia praef. p. XVI.; dubitat Coraës praef. p. *ια*.

Igitur si non scripsit fabulas Aesopus, fabularum quae hodie exstant collectiones non sunt Aesopi.

Atque haec acutorum quorundam virorum iam pridem sententia fuit, quippe quae aliis quoque documentis comprobetur multis. Quae cum repetere omnia atque exponere non necessarium existimem, propterea quod hodie nemo Aesopum affirmabit earum esse auctorem: satius habebo aliquot viros nominasse, qui suis hanc rem rationibus explicatam dederunt. Et dubium quidem non esse, quin omnium fabularum, quae sub ipsius nomine circumferantur, Aesopus nequaquam auctor sit, olim asseverarunt Camerarius vit. Aes. p. 25., Gatakerus l. l. p. 123. Idem quum censeret Vavassor, de ludicra dict. p. 19—21., Planudem ipsum vel alium nescio quem monachum plures ex iis fabulis scripsisse, quae in vulgatis collectionibus legantur, suspicatus est: eadem sententia Bentleii est Opusc. philol. p. 75. sqq. Lips., Tyrwhitti de Babr. p. 32. sq. Harl., Iacobsii dissert. laud. p. 280. sq., Huschkii de fab. Archil. p. 7. sq., aliorum. Hoc autem ego pronuntiare non vereor, si Bentleius suam de fabulis Aesopi dissertationem ita ut ceteras adversus Boyleum defendisset et retractasset, nec meo nec multorum, opinor, aliorum libellis opus fuisset. Sed ille adversarios dissertatione secunda Phalaridea veluti fulmine ictos procubuisse videns, ab impari pugna indignabundus recessit.

Digitized by Google

VIII.

Postquam autem complura mendacia hominumque per temporum decursum excogitatas fictiones aperui, nunc ad ceteras narrationes ad examen vocandas pergendum est, quae a plurimis pro certis verisque adhuc habitae vitae Aesopi conscribendae materiam suppeditarunt parum sufficientem. Quarum quum partem non exiguam ego quidem fictam cogar arbitrari, diligenti opus est inquisitione, qua quid verum sit, quid falsum, quam fieri potest clarissime eluceat: multa enim ultra probabilitatem perducere fortasse non licet. Sed hanc quoque esse aliquid in rebus historicis arbitror.

Narrant autem, Aesopum diu commoratum esse apud Croesum regem Sardibus; venisse eodem inter alios sapientes multos Solonem Atheniensium legislatorem sapientissimum, confabulatosque eos esse varia ac multa; deinde Aesopum a Croeso ad opulentissimas Graeciae urbes missum, Corinthum quoque ad Periandrum pervenisse; denique interfuisse septem, qui vocantur, sapientum convivio, et id genus alia.

Solonem Sardes venisse ad Croesum regem ipse Herodotus multis enarrat I, 29—34. *ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ ἄλλοι τε πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταὶ, οἳ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγχανον ἐόντες, ὡς ἕκαστος αὐτέων ἀπικέοιτο, καὶ δὴ καὶ Σόλων* — ac satis nota illa sunt sapienter dicta, quae quam essent vera moriturus demum superbus rex intellexit. Ibi cum Aesopo, regis *γελωτοποιῷ*, sermones conseruisse acutos quosdam dicitur, indeque ortum proverbium *μᾶλλον ὁ Φρύξ*, quod ita interpretatur Apostolius Cent. XII. adag. 41: *οἱ μὲν ἑπτὰ σοφοὶ ἐρωτώμενοι ὑπὸ Κροισου, τί τῶν ζώων εὐδαιμονέστατον, οἱ μὲν ἀπεκρίναντο· τὰ ἄγρια ζῶα· ὑπὲρ γὰρ τῆς αὐτονομίας ἀποθνήσκει· οἱ δὲ πελαργούς.*

Digitized by Google

δίχα γὰρ νόμου τῇ φύσει τὸ δίκαιον ἔχουσι. Σόλων δὲ οὐδένα πρὸ τῆς τελευταίας ἡμέρας. παρεστὼς δὲ Αἴσωπος ὁ λογοποιὸς, Φρὺξ τὸ γένος, τοσοῦτον, εἶπεν, ὑπερέχεις τῶν ἄλλων, ὅσον θάλασσα ποταμῶν. ἀκούσας δὲ Κροῖσος εἶπε· μᾶλλον ὁ Φρύξ. quae sibi sumsisse ex Suida videtur v. μᾶλλον ὁ Φρύξ. Similem narrationem non invenustam Plutarchus refert vit. Sol. p. 94. : ὁ δὲ λογοποιὸς Αἴσωπος· ἐτύγχανε γὰρ εἰς Σάρδεις γεγονὼς μετάπεμπτος ὑπὸ Κροίσου· ἠχθέσθη τῷ Σόλωνι μηδεμιᾶς τυχόντι φιλανθρωπίας, καὶ προτρέπων αὐτὸν, ὦ Σόλων, ἔφη, τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. Respondisse Solonem ferunt: συμβουλεύειν δεῖ μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ ἄριστα quam eius sententiam Diogenes L. I, 60. Stobaeus XIII. p. 146. ed. Gesneri, referunt. Quae quidem responsa, ut statim dicam quod sentio, ita comicorum ingenium sapiunt, ut ex illa Alexidis comoedia, in qua fuit Solonis cum Aesopo colloquium, sumta esse non dubitaverim affirmare : eiusmodi enim sententiae, in paucis verbis acutissimae, comicis perplacuerunt: quo ex genere illud quoque Pythagorae dictum est (v. supra §. IV. p. 26.) ἁλῶναι μᾶλλον ἢ πατῆσαι, ἀναιρεθῆναι δὲ κρεῖττον ἢ λαλῆσαι· Alexis vero, in cuius fabula Sardibus res acta esse videtur, fortasse Croesum quoque et cum Solone alios sapientes induxit, suo quemque pro ingenio loquentem. Quare commenta haec omnia esse manifestum est. — At Sardibus Solonem esse commoratum ipse Herodotus affirmat, narrationesque notissimas ad illorum hominum ingenium omnino accommodatas exponit, quae veritatis speciem prae se ferunt valde magnam. — Audio : sed si non essent multa in antiquitate veritatis specie ornata, non tantus labor esset purgandae commentis historiae antiquae. Quod vero haud exiguam suspicionem movet, etiam illud esse fictum, Plutarchus Sol. p. 92. fuisse dicit nonnullos, qui hunc Solonis

Digitized by Google

cum Aesopo congressum *τοῖς χρόνοις ὡς πεπλασμένον* arguerint. Quum enim per Graeciam *μυθοτόκον* tanta fabularum copia circumferretur, criticamque illi artem parum et exercerent et aestimarent; si tamen orirentur qui aliquid vulgo creditum pro ficto arguerent, non levibus ductos fuisse illos rerum momentis satis patet. Hinc recentiore etiam tempore haud defuerunt, qui commenticium illum esse asseverarent: v. Brucker. Hist. crit. philos. Tom. I, p. 444. Freret. Comment. Acad. Inscr. Tom. VII, p. 433. Clavier hist. primarum Graeciae aetatum Tom. II, p. 324. cet. Quoniam autem illi quibusdam veterum scriptorum locis satis plerumque incertis nituntur, et conturbata est omnino horum temporum ratio; ego instituta ratiocinatione chronologica, quam potero accuratissima, breviter rem explicare conabor. Nec vero quae Volneius nuper disputavit (in libro *recherches nouvelles sur l'histoire ancienne*: quem titulum quum memoria repeto, sophistam videor videre), aliquantum sufficiunt, quippe qui eo potissimum laborare videatur, ut non distinguat inter res certas verasque, et dubias ac fabulosas: et rectissime quidem nuper Dahlmannus iudicavit, Quaest. histor. T. II, P. 1, p. 135., eum, quae contra Larcherum dicantur, satis quidem apta proferre, propriam virtutem habere non magnam.

Ad constituendam igitur horum temporum rationem duo potissimum dilucidanda sunt ac firmanda: primum, quo anno Sardes expugnatae sint et a Cyro devictus Croesus: alterum, Solo quando vixerit, et, siquidem fieri poterit, quo tempore sit mortuus. Qua in quaestione exordiar, ut a re nihil dubia, a pugna ad Marathonem, qua decertatum est Ol. LXXII, 3., (a. Chr. 490.) in qua dimicavit Hippias, vigesimo, postquam eiectus erat, anno (Thucyd. VI, 59.): eiectus est igitur Ol. LXVII, 3.

Digitized by Google

(a. Chr. 510.) Quoniam autem Hipparchum et Hippiam per decem et octo annos regnasse Aristoteles auctor est, (Polit. V, 9, 23. ed. Schneid.) sequitur, ut Pisistrato mortuo regnum acceperint Ol. LXIII, 1. (a. Chr. 528.). Pisistratus patriam urbem potestatemque occupatam relinquere bis fuit coactus, ita ut ex annis triginta tribus civitatis princeps fuerit per annos septemdecim, ideoque exsul sedecim: (Aristot. l. l.) [11]): quo fit, ut Ol. LIV, 4. (a. Chr. 561.) summa rerum sit potitus. Quum vero posterioris exsilii tempus undecim annorum fuerit (Herod. I, 62.), prius non potest quin annorum fuerit quinque. Ita vero, si Herodotum, quum ait (I, 60.) *μετὰ οὐ πολλὸν χρόνον* eiectum Pisistratum esse, annum fere indicare ponamus, secundum princeps ille fuit Ol. LVI, 2. (a. Chr. 555.), iterumque post brevissimum expulsus undecimo demum anno regnum recuperavit Ol. LIX, 2. (a. Chr. 543.). Jam vero Croesus Lydorum rex, contra Cyrum bellaturus, legatos misit in Graeciam Lacedaemonem et Athenas. *Τούτων δὴ ὦν τῶν ἐθνέων τὸ μὲν Ἀττικὸν κατεχόμενόν τε καὶ διεσπασμένον ἐπυνθάνετο ὁ Κροῖσος ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ Ἱπποκράτεος τοῦτον τὸν χρόνον τυραννεύοντος Ἀθηναίων.* Haec Herodotus (I, 59.), qui expositis deinde omnibus

11) Igitur ex Aristotelis ratiocinatione triginta quinque per annos Pisistratus cum filiis regnavit: Herodotus vero (V, 65.) triginta sex posuit. Quae quidem diversitas inde nata esse videtur, quod Hippiam alii tres (Thuc. VI, 59.), alii ad quartum (Herod. V, 55.), alii quatuor annos (Plato Hipparch. p. 229, b.), post Hipparchi mortem principatum tenuisse dicunt. Eratosthenem quinquaginta annorum regnum Pisistratidarum posuisse vituperans refert schol. Arist. ad Vesp. 500.; non perspiciens, philologum doctissimum eos quoque annos adnumerasse quos exsules Pisistratidae degerunt.

Digitized by Google

Pisistratidarum rebus gestis narrationis finem facit talem: *καὶ Πεισίστρατος μὲν ἐτυράννευεν Ἀθηναίων· Ἀθηναίων δὲ οἱ μὲν ἐν τῇ μάχῃ ἐπεπτώκεσαν, οἱ δὲ αὐτῶν μετὰ Ἀλκμαιωνιδέων ἔφευγον ἐκ τῆς οἰκηΐης. Τοὺς μέν νυν Ἀθηναίους τοιαῦτα τὸν χρόνον τοῦτον ἐπυνθάνετο ὁ Κροῖσος κατέχοντα.* Ex quibus manifesto apparet, Croesum eo tempore legationem Athenas misisse, quo tertium princeps factus esset Pisistratus: nihil enim eos moror, qui interiecta tantum illa ab Herodoto dicunt, temporum non habita ratione, interpretari auctoris verba nescientes. Quae quum ita sint, circa Ol. LIX, 2. Athenas missi sunt a Croeso legati: neque enim firmatam denuo Pisistrati potestatem iam fuisse, ex Herodoti verbis *κατεχόμενόν τε καὶ διεσπασμένον* apparet. Constat vero ex eiusdem narratione, paullo post pugnatum esse ad Pteriam inter Croesum Cyrumque, oppugnatisque per quatuordecim dies Sardibus Croesum esse captum regnoque privatum. Hinc fit, ut anno Olympiadis LIX. vel secundo vel tertio (potest enim in uno anno vel dimidio facile dissentiri) Sardes expugnatas esse, magna cum probabilitate affirmare liceat. Atque valde gratum mihi evenit, quod comprobari hanc ratiocinationem Oxoniensi Chronico vidi: quod secutus est etiam Corsinus Fast. Att. Tom. III, p. 99. Aliquot tantum annis Eusebius differt (Chron. Can. p. 163.), Ol. LVIII, 3. ponens, et Sosicrates apud Diog. L. I, 99., qui Periandrum dicat *πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι ἔτεσι τετταράκοντα, καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐννάτης Ὀλυμπιάδος*· ac minus etiam Sosicrates, quippe qui quadraginta pleniorem et quasi rotundiorem numerum posuerit pro accuratiore. Convenit illud quoque, quod colligitur ex hoc Diodori testimonio apud Euseb. Praep. Evang. X, 10. p. 488.: *Κῦρος Περσῶν ἐβασίλευεν ᾧ ἔτει Ὀλυμπιὰς ἤχθη νε, ὡς ἐκ τῶν Βιβλιοθηκῶν Διοδώρου*

ἐστὶν εὑρεῖν, et collatis Syncelli verbis p. 191.: „Croesus captus decimo quinto vel quarto anno Cyri."

Videndum nunc est de Solone. Qui si apud Croesum commoratus est, non potest nisi quinque fere vel sex ante Sardium expugnationem annis ad eum venisse, siquidem sibi constare debet ipsius Herodoti narratio, quae ita procedit: μετὰ δὲ Σόλωνα οἰχόμενον ἔλαβε ἐκ θεοῦ νέμεσις μεγάλη Κροῖσον. — αὐτίκα δέ οἱ εὕδοντι ἐπέστη ὄνειρος (I, 34.); statim Atys in matrimonium aliquam ducit; ἐν δὲ αὐτῷ χρόνῳ τούτῳ (I, 36.) in aprum facta est venatio, in qua occiditur Atys. Eum Croesus postquam duos annos deflevit, bellum contra Cyrum suscipit (I, 46.), missisque in Graeciam legatis, mox ad Pteriam pugna cum Cyro congreditur (I, 76.); in qua victus quam potest celerrime Sardes confugit, ibidemque quatuordecim dies obsessus capitur a Cyro (I, 79.). Apparet ergo, Solonis adventum inter et expugnatas Sardes plus quam quinque vel sex annos interfuisse non posse. Atque accommodatum omnino est, quod Atys, quum ab imprudente amico interimeretur, adolescens erat viginti fere annos natus, εἰωθὼς στρατηγέειν τῶν Λυδῶν (I, 34.), maritaeque maturus. Croesus enim triginta quinque annos natus imperio est potitus (I, 26.), regnavit quatuordecim (I, 86.): ita ut filio moriente annos habuerit quadraginta fere tres, quae conveniens est ad talem filium aetas. Quid? quod tum demum ad Croesum Solo pervenit, quum multas Asiae gentes in potestatem ille redactas iam tenebat (I, 29.), quod non poterat fieri nisi post septimum vel octavum regni annum. Igitur Solo si Sardes venit, non potest illuc nisi circa Ol. LVIII, 1. (a. Chr. 549.) venisse.

Iam vero Solo nascentem tantum vidit Pisistrati principatum idque Athenis: quum enim turbis com-

mota urbs esset, postquam redierat admodum senex, auctoritate sola sua aliquantum res composuit. Plutarchus vita Sol. p. 94, E.: Οἱ δ' ἐν ἄστει πάντες ἐστασίαζον ἀποδημοῦντος τοῦ Σόλωνος —. ὁ Σόλων παραγενόμενος εἰς τὰς Ἀθήνας αἰδῶ μὲν εἶχε καὶ τιμὴν παρὰ πᾶσιν, ἐν δὲ κοινῷ λέγειν καὶ πράσσειν ὁμοίως οὐκ ἔτ' ἦν δυνατὸς οὐδὲ πρόθυμος ὑπὸ γήρως, ἀλλ' ἐντυγχάνων ἰδίᾳ τοῖς προεστῶσι των στάσεων ἀνδράσιν ἐπειρᾶτο διαλύειν καὶ συναρμόττειν, μάλιςα τοῦ Πεισιστράτου προσέχειν δοκοῦντος αὐτῷ. Atque habet Plutarchus Solonis aliquot versus, quibus idem ille eloquitur: quare Athenis eum quam in Cypro insula mortuum esse multo mihi veri similius videtur, et vero illud ex infelici urbis Σόλοι nomine exortum puto, cui a Cyprio rege aedificatae Solonis amici nomen impositum esse inepta grammaticorum fabula est. De morte viri eximii Plutarchus vit. Sol. p. 96, F.: ἐπεβίωσε δ' οὖν ὁ Σόλων ἀρξαμένου τοῦ Πεισιστράτου τυραννεῖν, ὡς μὲν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ, συχνὸν χρόνον· ὡς δὲ Φανίας ὁ Ἐρέσιος, ἐλάττονα δυοῖν ἐτῶν· ἐπὶ Κωμίου μὲν γὰρ ἤρξατο τυραννεῖν Πεισίστρατος· ἐφ' Ἡγεστράτου δὲ Σόλωνά φησιν ὁ Φανίας ἀποθανεῖν τοῦ μετὰ Κωμίαν ἄρξαντος. Hinc fit, ut Solo decesserit secundum Phaniam Ol. LV, 1., secundum Heraclidem vix post eiusdem Olympiadis finem; qui longissimns est vitae eius terminus, quum Ol. XLVI, 3. leges ille tulerit certe non iuvenis. Quae quum ita sint, qui Ol. LV, 4. mortuus est, si maximum vitae spatium posueris, Ol. LVIII, 1. Sardes se conferre ad Croesum profecto nullo pacto poterat. Ac manifestior etiam haec erit ratiocinatio, si, quod Herodotus (I, 29.) et Plutarchus (l. l. p. 92, E.) affirmant, decem tantum annos Solonem in exteris terris commoratum esse urgebis: erit enim ille Olymp. XLVIII. Sardibus versatus, tum quum Croesus sex septemve annos natus ferula caedebatur.

Digitized by Google

Igitur novo documento patefactum est, quantis commentis oblitterata sit illa septem, qui vocantur, sapientum aetas. Ac mirum quidem non debet videri, eorum plurimos in splendida regis Lydorum urbe aliquamdiu degisse narrari: ut enim ad principem aliquem magnificum revera clarissimi quique viri ventitare solent; ita alios multos eodem venisse, etsi non traditum est, fingitur tamen saepenumero variisque postea fabulis exornatur. Ex quibus nonnullas ipse Herodotus veras esse negavit, ut I, 75.: *ὡς δὲ ἀπίκετο ἐπὶ τὸν Ἅλυν ποταμὸν ὁ Κροῖσος, τὸ ἐνθεῦτεν, ὡς μὲν ἐγὼ λέγω, κατὰ τὰς ἐούσας γεφύρας διεβίβασε τὸν στρατὸν, ὡς δὲ ὁ πολλὸς λόγος Ἑλλήνων, Θαλῆς οἱ ὁ Μιλήσιος διεβίβασε.* Nec potuit Thales ulla ratione Croeso tum quidem adesse, quum Ol. XXXV, 1. natus, quod Apollodorus, nobilis scriptor, tradit apud Diogenem L., Ol. XLI, 3. solis defectum metitus (id quod investigavit Oltmannus in Commentat. Acad. Berol. 1813.) septuagesimo octavo aetatis anno mortuus sit Ol. LIV, 3. Quanquam video Sosicratem eam ipsam ob fabulam tantopere produxisse Thaletis aetatem, ut ista conciliaret. Sed simile est, quod I, 27. Herodotus refert, quum domitis in Asia Graecis Croesus naves parasset ad capiendas insulas, venisse ad eum dici ab aliis Biantem Prieneum, ab aliis Pittacum Mitylenaeum, ineptumque esse illud consilium ostendisse. Quam narrationem qui finxerunt, ipsi inter se parum consentientes alius alium sapientiae laude celebrarunt. Apparet autem quae Volneii fides sit qui ex hoc loco Pittacum Croeso a consiliis aulicis fuisse simpliciter narraverit. Nec minus audacter hoc ego commentum dixerim, quod Anacharsidem Athenis Solonem convenisse Plutarchus et Diogenes affirmant. Optime vero aliam quandam de Thespide et Solone narrationem fictam esse sum-

Digitized by Google

mus Bentleius vidit Opusc. phil. p. 303. sq. Lips. Sed satis iam, opinor, exemplorum. Nobis vero non nullius momenti illud est, quod a Valerio Maximo VII, 1, 2. Gygi, Lydorum regi, an se felicior mortalis ullus praedicandus sit, sciscitanti, *deus Delphicus Aglaum Psophidium Arcadem* beatiorem esse multo respondisse narratur: in quo pro Croeso, Solone, Atheniensi, habes Gygem (item Lydum), Apollinem, Arcadem. Denique accedit quod Justinus II, 7. de Solone disserens, nec tamen harum narrationum quidquam exponens, fabulosas ipse eas credidisse videtur.

Non esse unquam apud Croesum commoratum Solonem, argumentis haud infirmis ostendisse me opinor: quo fit, ut ibidem cum Solone Aesopus confabulari non potuerit, fictumque nescio unde sit proverbium μᾶλλον ὁ Φρύξ. Quae quidem per se levia eo potissimum consilio exposui, ut quantum in his rebus turbatum olim esset, aperirem. Hoc autem non mediocriter acceptum fuit, quod postquam diu ista ego elaboraveram, non minus illud audacter negasse vidi Bentleium Opusc. phil. p. 304. Lips., rationibus quidem prolatis nullis, sed deriso tantum Plutarcho, qui commentum, non illepidum quidem sed tamen commentum, credere, quam quid verum esset explorare maluisset.

Jam vero paene superfluum videatur refutare id, quod Plutarchus narrat, Aesopum venisse Corinthum ad Periandrum septemque sapientum interfuisse convivio. Namque Plutarchus ut omnino quos libebat convivas ad has epulas vocavit, ita quum Aesopum esse aptissimum ad exhilarandam tristium senum severitatem intelligeret, ut longum quod est a Sardibus ad Corinthum iter benignus susciperet rogare non dubitavit, addiditque, qua eum permoveret, rationem, proxime ipsi Delphos fore proficiscendum. Quod quidem significat his verbis (Sept. Sap. Conv. p. 149.

Digitized by Google

Tom. VI, p. 568. Reisk.): ὁ δ' Αἴσωπος (ἐτύγχανε γὰρ ὑπὸ Κροίσου πρός τε Περίανδρον ἅμα καὶ πρὸς τὸν θεὸν εἰς Δελφοὺς ἀπεσταλμένος, καὶ παρῆν ἐπὶ δίφρου τινὸς χαμαιζήλου παρὰ τὸν Σόλωνα καθήμενος ἄνω κατακείμενον) — Temporum rationem scilicet parum tum Plutarchus curabat. Periandrum enim quadraginta ante Croesum annis decessisse, h. e. Ol. XLVIII, auctor idoneus est Sosicrates apud Diogenem L. I, 99. (cf. Corsin. Fast. Att. Vol. III, p. 85. 93.); Aesopus vero si a Croeso rege Delphos est missus ibique necatus, non potuit ante Ol. LIV. Corinthum proficisci. Quam quidem temporum discrepantiam notare non neglexit Wyttenbachius ad Plutarch. Moral. Tom. II. P. 2. p. 934. Neque vero quod idem vir doctus opinatur, confusis hisce rebus medicina eo adhiberi potest, quod priorem quandam legationem significari dicas, cui superstes Aesopus fuerit scripseritque libros duo de iis, quae Delphis ipsi evenerint: id quod vult Suidas v. Αἴσωπος: ἔγραψε δὲ τὰ ἐν Δελφοῖς αὐτῷ συμβάντα ἐν βιβλίοις β. Etenim bis eum Delphos missum esse nemo, neque hunc librum scripsisse praeter Suidam quisquam commemoravit, cuius quae est in talibus fides! Fac tamen, Aesopum priore quadam legatione ad deum fuisse missum: quid praeter mortem tam memoratu dignum evenire ipsi poterat, ut singulari scriptione celebratum posteris traderet? Certe hoc non fugisset tot praeter Suidam auctores ad extremum credulos. Neque enim Aesopi tempore, quemadmodum nostro, quidquid in mentem veniebat, litteris consignabant, certe non istiusmodi quisquilias, ut quae in itinere perpessi essent incommoda. Ego aliquando putabam lucem afferri Suidae a Plutarcho (Sept. S. C. p. 164.), qui Aesopum dicit λόγον συντεθεικέναι in sententias Μηδὲν ἄγαν, Γνῶθι σαυτὸν, Ἐγγύα πάρα δ' ἄτα: putabam enim hos λόγους

Digitized by Google

esse Suidae *βιβλίους β*: verum haec parum inter se conciliantur: apparet indicari a Plutarcho fabulas quas commentus sit Aesopus in haec sapientum dicta: neque hoc fugit Wyttenbachium l. l. Quapropter verbum *λόγος* et in interpretatione Latina et in indice male redditum est vocabulo *oratio*. In libris autem illis, quos ipse Suidas non vidit certe unquam, extrema Aesopi fata exposita fuisse opinor: quo ducunt quae addit idem: *μᾶλλον δέ τινές φασιν ἀποκρίματα μόνον γεγραφέναι· ἐν γὰρ Δελφοῖς ἀπολέσθαι*. Spurius itaque liber est censendus: nisi forte emersum aliquando illum esse e fluctibus Stygis, aut Suidam e communi fabula credidisse putabis aut ipse credes. Quamobrem quidquid de Aesopo Corinthum, Athenas et nescio quo misso narratur, commentum esse infitiabitur nemo. Plutarchum tamen cuncta invenisse minime dixerim: vestigium est enim huius rei antiquius in disticho eius, quam Socrates numeris inclusisse dicitur fabulae, quod servavit Diogenes L. II, 42.:

Αἴσωπός ποτ' ἔλεξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσιν,
μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

si quidem hos versus Socratis esse Diogeni credes, quod ego me nunquam esse facturum profiteor. Socrates enim, mihi crede, leves aliquot quos fecerat versus paucis ante mortem diebus nec litteris consignare dignatus est, neque dicere cuipiam qui pro admirandis eos posteris traderet. Sed mittamus ista: satis enim esse manifestum puto, nec Meziriacum nec alios multos illis Plutarchi fabulis fidem habere debuisse. Rectius multo Iacobsius dissert. laud. p.281.: „Non dubito ego, dicit, quin id quod narrat Plutarchus vit. Sol. p. 94., convenisse cum Solone Aesopum in Croesi regia, aeque parvi aestimandum sit, quam quod idem eundem sapientum fecit convivam."

Digitized by Google

IX.

Postquam vero permulta commenta, e posterioris aetatis scriptoribus hausta, fide esse indigna investigatum est: videndum nunc tandem erit, quaenam a probatis auctoribus, iisque antiquioribus paullo, vera ac certa memoriae sint tradita. Atque antiquus simul et probatus auctor Herodotus adest, qui II, 134. quum de Rhodopide disserit, in transcursu quaedam exponit de Aesopo: *δούλη δὲ ἦν [ἡ Ῥοδῶπις] Ἰάδμονος τοῦ Ἡφαιστοπόλιος, ἀνδρὸς Σαμίου, σύνδουλος δὲ Αἰσώπου τοῦ λογοποιοῦ. καὶ γὰρ οὗτος Ἰάδμονος ἐγένετο, ὡς διέδεξε τῇδε οὐκ ἥκιστα. ἐπεί τε γὰρ πολλάκις κηρυσσόντων Δελφῶν ἐκ θεοπροπίου, ὃς βούλοιτο ποινὴν τῆς Αἰσώπου ψυχῆς ἀνελέσθαι, ἄλλος μὲν οὐδεὶς ἐφάνη, Ἰάδμονος δὲ παιδὸς παῖς ἄλλος Ἰάδμων ἀνείλετο. οὕτω καὶ Αἴσωπος Ἰάδμονος ἐγένετο.* [12]) Quibus ex verbis manifestum est, Herodotum eo tantum consilio de Aesopo dicere, ut Rhodopidem in insula Samo Aesopi aequalem vixisse comprobet: neque enim *θεοπρόπιον* illud explicuit, nec quaenam haec esset *ψυχῆς Αἰσώπου ποινὴ* declaravit. Quum vero solo hoc loco Herodotus Aesopi mentionem iniecerit, quid istis de fabulis ipsius aetate creditum hominibus fuerit, ignoramus. Multis ea enarrat Plutarchus De Ser. Num. Vind. p. 556. Tom. VIII. p. 203. Reisk.:

---

12) Quum nonnunquam errores notare placeat, non praetermittam, quod Baylius (dict. hist. crit. v. Aesop.) Herodoti loco leviter perlecto Iadmonem eum, qui Delphorum multam receperit, filium, non nepotem, fuisse dicit illius, cuius servus Aesopus fuit; et quod idem in Suidae loco supra adscripto diversas e diversis fortasse auctoribus aetates Aesopi commemoratas videns, diversas illum opiniones afferre non intellexit, sed nullam eius esse auctoritatem pure et simpliciter pronuntiavit.

Digitized by Google

οἷον ἐνταῦθα δήπουθεν λέγεται, Αἴσωπον ἔχοντα παρὰ Κροίσου χρυσίον, ὅπως τε θύσηται τῷ θεῷ μεγαλοπρεπῶς καὶ Δελφῶν ἑκάστῳ διανείμῃ μνᾶς τέσσαρας· ὀργῆς δέ τινος, ὡς ἔοικε, καὶ διαφορᾶς αὐτῷ γενομένης πρὸς τοὺς αὐτόθι [13]), τὴν μὲν θυσίαν ἐποιήσατο, τὰ δὲ χρήματα ἀπέπεμψεν εἰς Σάρδεις, ὡς οὐκ ἀξίων ὄντων ὠφεληθῆναι τῶν ἀνθρώπων. οἱ δὲ συνθέντες αἰτίαν ἐπ' αὐτῷ ἱεροσυλίας ἀπέκτειναν, ὤσαντες ἀπὸ τῆς πέτρας ἐκείνης, ἣν Ὑάμπειαν καλοῦσιν. ἐκ δὲ τούτων λέγεται μηνῖσαι τὸ θεῖον αὐτοῖς, ἀφορίαν τε γῆς ἐπαγαγεῖν καὶ νούσων ἀτόπων ἰδέαν πᾶσαν, ὥστε περιϊόντες ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς πανηγύρεσι κηρύσσειν καὶ καλεῖν ἀεὶ τὸν βουλόμενον ὑπὲρ Αἰσώπου δίκην λαβεῖν παρ' αὐτῶν· τρίτῃ δὲ γενεᾷ Σάμιος Ἴδμων ἀφίκετο, γένει μὲν οὐδὲν Αἰσώπῳ προσήκων, ἀπόγονος δὲ τῶν πριαμένων αὐτὸν ἐν Σάμῳ γεγονώς. καὶ τούτῳ τινὰς δίκας δόντες οἱ Δελφοὶ τῶν κακῶν ἀπηλλάγησαν. Quae quidem Aesopi fata postea celeberrima a permultis scriptoribus commemorantur: in quibus satis antiquus est Aristophanes, qui Vesp. 1446. sqq. fabulam lepide tetigit hisce:

Φιλ. Αἴσωπον οἱ Δελφοί ποτ' —
Βδελ. Ὀλίγον μοι μέλει.
Φιλ. φιάλην ἐπῃτιῶντο κλέψαι τοῦ θεοῦ.
ὁ δ' ἔλεξεν αὐτοῖς, ὡς ὁ κάνθαρός ποτε —
Βδελ. οἴμ' ὡς ἀπολεῖς αὐτοῖσι τοῖσι κανθάροις.

quo loco scholiasta totam narrationem exponit, Delphorum dolum, non satis clare a Plutarcho significatum, talem fuisse referens: in mantica Aesopi, quum esset profecturus, phialam sacram auream eos occultasse, ac vix profectum consecutos protracta phiala la-

13) Lusisse Aesopum Delphos propterea quod μὴ ἔχοιεν γῆν, ἀφ' ἧς ἐργαζόμενοι διατρέφοιντο, ἀλλὰ περιμένοιεν ἀπὸ τῶν θεοῦ θυμάτων διαζῆν, tradit schol. Aristoph. 1446. Vesp., similia Planudes.

trocinii accusavisse: quo facto capitis damnatum, nihil permotos ea, quam ipsis narrarit, fabula (cf. Aristoph. Pac. 129.; Coraïs collect. fab. p. 2. sqq.) de rupe urbi vicina praecipitasse. Heraclides Ponticus in Politia Magnetum (Gronov. Thes. A. Gr. Tom. VI. p. 2830.) *Φάμις ἄρχων ἦν καὶ τούτου υἱοὺς ὡς ἱεροσύλους συνέλαβον. Ὅ φασι καὶ περὶ Αἰσώπου γενέσθαι. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἐπὶ ἱεροσυλίᾳ διεφθάρη, φιάλης χρυσῆς φωραθείσης ἐν τοῖς στρώμασιν αὐτοῦ.* Servum fuisse Aesopum idem commemoravit in Samiorum Politia (Gronov. Thes. A. Gr. Tom. VI, p. 2827.): *Αἴσωπος δὲ λογοποιὸς εὐδοκίμει ποτέ. ἦν δὲ Θρᾷξ τὸ γένος, ἠλευθερώθη δὲ ὑπὸ Ἴδμονος τοῦ κωφοῦ, ἐγένετο δὲ πρῶτον Ξάνθου δοῦλος.* Quae verba eadem refert schol. ad Aristoph. Aves 471. Brunck., eo tamen discrepans quod Idmonem *σοφὸν* non *κωφὸν* appellavit: de quo paucis post dicetur. Accedit Iulianus Or. VII, p. 388., qui quidem ex Aesopi servitute fabularum ducit originem: *Αἴσωπος ὁ τῶν μύθων ποιητής, Σάμιος, δοῦλος οὐ τὴν τύχην μᾶλλον ἢ τὴν προαίρεσιν, οὐκ ἄφρων μὲν οὐδὲ κατ' αὐτὸ τοῦτο ἀνήρ.* [14]) *ᾧ γὰρ ὁ νόμος οὐ μετεδίδου παῤῥησίας, τούτῳ προσῆκον ἦν ἐσκιαγραφημένας τὰς συμβουλὰς καὶ πεποικιλμένας ἡδονῇ*

---

14) In Iuliani verbis lacuna est. Descripserunt ea Suidas et schol. Arist. Vesp. 1251. Ex iis Kusterus sensum sanum elici posse negat. Toupius Emend. in Suid. T. III, p. 58. sq., Anglice sic interpretans: „In which the man acted no foolish part neither." articulum *ὁ* ante verbum *ἀνὴρ* inseruit. Quae iusta quidem sententia est: verum si *οὐκ ἄφρων μὲν οὐδὲ κατ' αὐτὸ τοῦτο ἀνὴρ* legetur, quod est apud Suidam, nihil certe erit quod mutes: „non stultus quidem vir, neque ista quidem re." Toupius autem *οὐκ* non videtur legisse, quippe qui talia verba adscripserit: *Ἄφρων μὲν οὐδὲ κατ' αὐτὸ τοῦτο ἀνήρ.* Verum vel ita *οὐδὲ* etiam ad praecedentia referri potest. —

Digitized by Google

καὶ χάριτι παραφέρειν. Xanthi cuiusdam servum Aesopum fuisse, Eustathius dicit ad Odyss. *χ.* p. 785. Phaedrus III, 19.:

Aesopus domini solus cum esset familia,
Parare coenam jussus est maturius: cet.

In Samo eum insula versatum esse neque Aristoteli ignotum erat, qui Rhet. II, 20.: *Αἴσωπος δὲ ἐν Σάμῳ συνηγορῶν δημαγωγῷ κρινομένῳ περὶ θανάτου ἔφη.* ... Ad Aesopi mortem versus referendus est comici, ut videtur, cuiusdam: Suidas v. *ἔωσεν· καὶ περὶ τοῦ Αἰσώπου·*

Οἱ Δελφοὶ ἔωσαν αὐτὸν κατὰ κρημνοῦ μάλα.

eiusdem argumenti versus Babrii apud Apollonium leguntur lex. Hom. v. *ἄειδε* p. 48. Villois., ita emendati a Tyrwhitto de Babr. p. 2., 3. Harl.

Ταῦτα δ' Αἴσωπος
ὁ Σαρδιηνὸς εἶπεν, ὅντιν' οἱ Δελφοὶ
ᾄδοντα μῦθον οὐ καλῶς ἐδέξαντο.

Meminerunt huius caedis etiam Libanius Apol. Socr. Tom. I. p. 687., idem Orat. de ulcisc. Iul. nece apud Fabric. Bibl. Gr. Vol. VII, p. 145. sqq., Himerius Orat. XIII, p. 592. Ad fabulam, quam moriturus Aesopus narravit, Lucianus respicit Icaromen. 10., quo loco Planudae alucinationes de aëriis Aesopi conditoribus notavit Solanus. Inde ortum est etiam proverbium *Αἰσώπειον αἷμα*: v. Zonaras s. v. pag. 90. ed. Tittm., Apostolius in A. Schotti proverbiis II, 1. 5., Diogen. I, 46., Suid. coll. I, 70., ceteri. Dissentitur autem paullulum in rupis Delphicae nomine: Plutarchus Hyampeam vocatam fuisse tradit; ac Suidas vv. *Φαιδριὰς* et *Αἴσωπος*: *ἀπὸ τῶν Φαιδριάδων καλουμένων πετρῶν.* Quam quidem discrepantiam ea ratione tollere Cuperus conatus est (Observ. IV, 4. p. 400.), ut Phaedriadum nomine totum montium ordinem appellatum fuisse diceret, quo cincti fuissent Delphi, non omnino impro-

bante Wesselingio ad Diod. Sic. XVI, 28.: affirmat enim Lucianus Phalar. I, 6. (Tom. II. p. 194. Reitz.), eam, de qua deiecti sint sacrilegi rupe, urbi propinquam fuisse, quod quadrat in montem Hyampeam: cf. Valcken. ad Herod. VIII, p. 637., Perizon. ad Aelian. V. H. XI, 5. Itaque quum disertis verbis Suidas *Φαιδριάδας πέτρας*, non *Φαιδριάδα πέτραν* eam dixerit, non erat quod Cuperum simul et Suidam repudiaret Larcherus Chronol. Herod. Tom. VII, p. 53. sq. Camerarius autem quum Diphriades eas vocat (vit. Aes. p. 61.), vel corrupta scriptura vel memoria deceptus esse videtur.

X.

Quae his variorum auctorum testimoniis affirmantur, si brevi complectaris, haec sunt: vixit Aesopus in insula Samo, servus Idmonis cuiusdam sive Iadmonis, ex aliorum opinione Xanthi; a Croeso rege Delphos missus est ibique ficta criminatione necatus; ulturus autem eum Apollo horrendam pestem Delphis immisit, quae tum tandem cessavit, quum nepos quidam Iadmonis illius Delphorum multam recepit. Verum latent in his quoque nonnulla, quae dubitationem movere possint gravissimam.

Primum enim in nomine heri, cuius servus Aesopus fuit, singularis quaedam confusio est. Utrique et Xantho et Iadmoni Aesopum serviisse Heraclides dicit: Herodotus hoc tantum, Xanthem Samium (non Xanthum vocat: *Ξάνθεω τοῦ Σαμίου*) comitem fuisse Rhodopidis in Aegyptum proficiscentis; ceterum quis ille fuerit, non exponit. Quae de Rhodopide a veteribus traduntur, ipsa commentis turbata, in appendice explicata dabo: in iis praeter haec Herodoti verba de Xantho sive Xanthe nulla est mentio. Nihil autem nisi errasse puto et eos, qui Lydum Xanthum dicerent

(v. Suid.), cum logographo Lydo confundentes, et Photium, qui v. Ῥοδώπιδος ἀνάθημα Iadmonem Mitylenaeum appellat, cum Charaxo Mitylenaeo permiscens, eo qui Rhodopidem redemit, ob idque ipsum a sorore Sapphone poetria versibus postea obiurgatus est. Maxima vero difficultate alterius heri nomen premitur, quod ab Herodoto constanter Ἰάδμων dicitur, ab Heraclide et Plutarcho Ἴδμων: qui quum in Heraclidis fragmento quale est editum κωφὸς appelletur, Scholiasta Aristoph. Av. 471. Brunck. σοφὸν eum dicit. Qua in discrepantia apud Heraclidem aut in scriptis libris aut in impressis erratum esse prorsus existimo. Namque ut illud mittam, quod nemo de muto vel caeco Aesopi hero verbo monuit, et quod Planudes, quem laboriose conquisivisse vidimus quae de Aesopo tradita reperiret, sapientissimum herum inducit: videtur mihi ipso proprio eius nomine explicari atque confirmari adiectum nomen σοφός: Ἴδμων enim idem significat, quod σοφός, ductum a verbo εἴδω, ut νοήμων a νοέω, *sciens, sapiens.* [15]) Et videntur saepius hoc nomine insigniti

15) Ut in his quaestionibus laboranti mihi omnino non semel contigit, ut quod ipse coniectura quadam perspexissem, postea ab egregio aliquo viro praeoccupatum reperirem, ignorantiae certe accusandus: ita hanc quoque meam opinionem, absoluta dudum tota scriptione, prolatam multo prius reperi ab ingenioso viro A. Coraë, qui in σημειώσ. ad Heraclid. Pont. rel. (Pr. Hell. Bibl.) p. 355. ita disputat: ἔγωγ' οὖν οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι γράψαι παρὰ μὲν Ἡροδότῳ (B, ρλδ) Ἴδμονος ἀντὶ τοῦ Ἰάδμονος, ἐπεὶ εὕρηται καὶ παρὰ τῷ Ἀπολλοδώρῳ (A, θ, 23.) ὄνομα κύριον Ἴδμων ὁ Μάντις, εἷς τῶν Ἀργοναυτῶν· παρὰ δὲ τῷ Ἡρακλείδῃ Ἴδμονος τοῦ Σοφοῦ, καίπερ (οὐδὲ γὰρ τοῦτο σιγῇ παρελθεῖν ἄξιον) οὐδὲν ἕτερον δηλοῦντος τοῦ Σοφοῦ ἢ αὐτὸ τοῦτο τὸ δηλούμενον ὑπὸ τοῦ Ἴδμονος· ἀμφότερα γὰρ τὸν εἰδήμονα ἢ ἐπιστήμονα σημαίνει,

Digitized by Google

esse qui in arte quadam vel disciplina excellerent: ut nobilissimus ille Argonautarum vates *Ἴδμων* appellatur apud Apollod. I, 9.: hinc apud Apollonium Rhodium (v. I, 139.; II, 817. cet.) et Valerium Flaccum Calchantis partes agit; eumque etiam Pherecydes commemoravit (v. Sturz. Pherec. p. 170. sq.); diversus Epidaurius Idmon est, medicae artis peritus, Adrasto regi familiaris (v. Stat. Theb. III, 389.); diversus etiam Arachnes pater Idmon Colophonius (v. Ovid. VI. Metam. 8.). Similia nomina in Homero multa, ut ipse *Νοήμων*, equorum peritus, Antilochi familiaris (Il. ψ, 612.). Neque hoc ipsos Graecos quosdam fugisse videtur: Chamaeleon enim antiquus scriptor *Ἴδμονα* affirmaverat non nomen proprium Argonautae fuisse, sed cognomen Thestoris (Schol. Apoll. Rh. I, 139.). Et tamen obstare illud videatur, quod Herodotus non Idmonem dicit, sed Iadmonem. Quod in eius quidem libro non puto esse corrigendum, quum ex eo Suidas quoque Iadmonem sumserit. Sed quum idem ceterorum virorum nomen ubique et quidem hexametro versu *Ἴδμων* scribatur: Ionicam potius vel Aeolicam *Ἰάδμων* formam esse eiusdem nominis arbitror. Neque sine acumine illud nomen excogitatum videri possit: nam eo quod sapienti Aesopus serviebat eumque suo adiuvabat consilio ac pressum saepe angustiis ingenio sublevabat suo, ipsius sapientia multo eminebat magis, quam si stulto eum homini serviisse finxissent: lege Planudis narrationem vit. Aesop. p. 27. sqq.

Alia dubitatio in iis latet quae de Aesopi cum Croeso familiaritate narrantur. Etenim mireris sane, quod

---

τοῦτο *μὲν ποιητικώτερον, ἐκεῖνο δὲ πεζαίτερον.* In quo tamen illud non concedo, apud Herodotum violenter esse mutandum.

Herodotus, quamvis multis de Croesi opibus exposuerit ac magnificentia, deque iis viris sapientibus, qui apud illum sint commorati, Aesopi mentionem ne verbo quidem fecit, quum posteriores auctores uno ore omnes referant, in primis carum eum a Croeso habitum esse, insignique dignitate honoratum; et quod idem, quum pluribus locis copiose enarret Croesum ingentia auri pondera misisse Delphos (I, 47. 50. sqq. cet.), tamen Aesopum eo missum esse ipsiusque auri causa occisum (quamvis ea fabula lepide exponi ab eo potuerit) nec leviter significavit; neque eo quidem loco Croesum commemoravit, quo Aesopi fata extrema attigit. Nec quisquam omnium auctor est, in Croesi regia Aesopum degisse, ante Plutarchum; ne ipse quidem Ponticus Heraclides, qui interemtum esse Delphis retulit. At vero post Plutarchum uno omnes ore clamitant, Sardibus vixisse Aesopum, Delphos esse missum ad deferenda deo incolisque dona, ibique necatum. Quam vero infirmum sit hoc Plutarchi ceterorumque similium hominum testimonium, nisi aliunde confirmetur, non est quod exponam.

Sed progrediamur ad illud, quod omnium, quae de fabulatore insigni narrantur fabulae, caput est ac summum: necem dico singularem illam, qua ab iratis Delphis peremtus esse fertur. Etenim commentum esse illud, Apollinem de Aesopi caede iratum sterilitate terrae omnisque generis morbis puniisse Delphos, oraculumque deinde edidisse, manes placarent interemti, qui sibi carissimus fuisset, Aesopi, neminem puto esse negaturum. Atque si ad tertium usque genus (Ἰάδμονος παιδὸς παῖς ἄλλος) sterilis fuisset Delphorum ager, ipsique, miseri! quinquaginta ad minimum annos cunctorum morborum calamitate afflicti fuissent, profecto ne unus quidem esset relictus, in tantamque haec

Delphorum miseria gloriam venisset, ut in omnium ore esset versata: et tamen tacent omnes. Quae si ficta sunt, ut videntur esse, quid totius de morte Aesopi narrationis relinquetur verum? quum praesertim illud quoque incertum sit, quod a Croeso Aesopum ad responsum a Deo petendum nummosque dividendos civibus missum esse narratur. Ac mirum sane est, quod alios quoque homines quosdam eodem dolo ceperunt: nam Orgilaum quoque et fratrem eius, Phamidis filios, phiala aurea sarcinis eorum inserta, pro latronibus arreptos de rupe praecipitarunt: v. Heraclid. Pont. l. l. cf. Plutarch. Polit. Praec. p. 825, B., Aelian. V. H. XI, 5., qui auctorem sequitur Aristotelem Polit. V, 4. Quam ad narrationem excogitatam esse nostram, suspicatus iam pridem est Camerarius vit. Aes. p. 62.

Atque omnino posteriore tempore ingens in Aesopum numerus commentorum congestus est, ita ut quaecunque acute dicta homines reperirent, ut fieri in talibus solet, ea Aesopum dixisse affirmarent, additis nonnunquam ex ingenio, quibus, quo tempore, quo loco, qua ex causa acutum quiddam dixisset, explicarent. Cuius generis permulta habet Phaedrus, satis quidem ingeniose nonnunquam excogitata, sed quae maximam partem a Graecis accepit: simile est, quod apud Aristotelem legitur Meteorol. II, 3., Themistium XXXII. p. 359. cet. Dubitarunt tamen interdum ipsi cautiores, ut Athenaeus, V., p. 219., qui exposita eadem fabula, quam ad Aesopum auctorem referre non dubitarunt scholiasta Arist. Av. 588., Suidas s. v. εἰ τὸ μέσον, circumspecte addit: ἤτοι Αἴσωπός ἐστιν ὁ λογοποιὸς ἢ ἄλλος τις. — Et hinc quidem provenerunt illa, quae dicuntur, Apophthegmata Aesopi, quae in pluribus codicibus exhibentur: v. Diar. Ital. Montfauc. p. 48.

XI.

Exponenda iam restant alia quaedam, quibus, quanta fabularum nubes veritatem obscuraverit, evidentius perspicietur. Etenim de patria Aesopi, cuius nullam adhuc mentionem feci, tanta est veterum scriptorum discrepantia, ut, quod de poetarum principe, idem de Aesopo dixeris, ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι, ideoque qua ille ex terra in Graeciam devenerit exputare plerique desperaverint.

Graecum enim Aesopum natione non fuisse, sed in peregrina aliqua terra natum in Graecas regiones postea delatum esse, dubitatione caret omni: quaecunque enim de patria eius ac vita narrantur, peregrinam terram significant. Et Phrygem quidem Aesopum fuisse, plerisque probatum invenio, ita ut perpetuo fere hoc cognomine appelletur. Verum antiquissimus testis non Phrygem eum dixit, sed Thracem. Antiquissimum autem non Herodotum dico, qui, ex qua gente oriundus ille fuerit, non commemoravit: ni forte inde quod Rhodopin *Thressam* eidem, cui Aesopum, hero serviisse scripserit, Aesopo eum idem genus attribuisse collegeris: quod tamen ratione caret idonea. Antiquissimum Heraclidem dico Ponticum, qui in Pol. Sam. (Gron. Thes. A. Gr. T. VI. p. 2827.) ἦν δὲ [*Αἴσωπος*], dicit, *Θρᾷξ τὸ γένος. κ. τ. λ.* eoque auctore Thracem Aesopum dixit scholiasta Arist. Av. 471. Brunck. Cuius nominis causam quum Rhodopidem fuisse Harlesius opinabatur (ad Fabr. Bibl. Gr. T. I, p. 618.), fecit non probabilius quam qui propter Thressam Rhodopidem ab Herodoto Thracem Aesopum esse habitum ratiocinaretur. Poterit autem Thracia etiam Minoris, quae vocatur, Asiae regio intelligi: Thyni enim et Bithyni Thraces erant. Posterioris vero aetatis scrip-

Digitized by Google

tores unanimo fere consensu Phrygem Aesopum dicunt: Lucianus Ver. Hist. II, 18. de iis, quos apud inferos viderit, narrans addit: παρῆν δὲ καὶ Αἴσωπος ὁ Φρύξ. τούτῳ δὲ ὅσα καὶ γελωτοποιῷ χρῶνται. Himerius Or. XIII, p. 592.: φασὶ δὲ καὶ Αἴσωπον τὸν λογοποιὸν τὸν Φρύγα... cf. id. Or. XXIX, p. 854., XX, p. 718.; Aelianus V. H. X, 5.; Maximus Tyrius Diss. III, p. 19. Markl.; Stobaeus Serm. XLVII; Apostolius XII, Adag. 41.; Gellius II, 29. multisque locis Phaedrus, ut prol. III, v. 52.:

Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo...

ubi non est quod Bentleio obsecutus legas:

Phrygibus si Aesopus potuit, si Anacharsis Scythis...

Isidorus Orig. I, 39.: „appellantur [fabulae] Aesopicae, quia is apud Phrygiam in hac re pollebat“ quo loco aut parum accurate Isidorus locutus est, aut post „Aesopicae“ quaedam exciderunt, velut „de Aesopo.“ — Phrygiae autem oppidum non idem ab omnibus Aesopi patrium vocatur. Planudes enim, nescio unde, Amorium fuisse narrat, Phrygiae magnae oppidum. At Suidas v. Αἴσωπος, Κοτυαέα Φρύγα a quibusdam haberi Aesopum dicit. Quocum consentit Constantinus Porphyrog. de Themat. I. 4, p. 14.: Ἄνω δὲ παρεκτείνεται μέχρι τοῦ Δορυλαίου καὶ αὐτοῦ Κοτυαείου (v. Berkel. ad Steph. Byz. s. v.) ἐξ οὗπερ ἔστιν ὁ ὀνομαστότατος καὶ παλαιὸς ἐκεῖνος Αἴσωπος, ὁ τὴν μυθοποιΐαν πρῶτος εἰς τὸν βίον εἰσαγαγών. Plutarchus nullo, ni fallor, loco patriam Aesopi indicavit. Est autem hoc primum notandum, variarum Asiae cis Halyn regionum fines et ambitus alio tempore alios fuisse, et prae ceteris Phrygiae terminos nunc prolatos esse nunc contractos. Atque idonea sane causa indagari potest, cur Phrygem Aesopum dicere maluerint homines non satis accurate distinguentes: notum est enim, Phryges, Cares, Lydos vicinarumque terra-

Digitized by Google

rum incolas in Graecia servos fuisse saepissime: „de Carum servitio antiquum proverbium est, cuius fontem Homerum puto Il. *α*, 378.: *τίω δέ μιν ἐν Καρὸς αἴσῃ*: inde schol. Aristoph. Plut. argum. *Κᾶρες γὰρ οἱ δοῦλοι*, dicit, servique Carionis nomen ea observatione explicat.: cf. Hemsterh. l. l., schol. ad Theocr. V, 2. Item Phryges servi reperiuntur saepenumero, velut apud Theocritum XV, 40. *Φρυγία* serva est nutrix: in recentiore comoedia Manes servus Phryx erat: v. Strabo VII, p. 304. D. Jam quum servus fuisse Aesopus ab omnibus traderetur, factum est facile, ut pro Phryge plerique eum haberent, Thracem fuisse regionum finibus parum distinctis obliviscerentur.

Sed praeterea alia quoque patriae terrae nomina imposita Aesopo a veteribus reperio: Samius enim vocatur in epigrammate apud Brunckium (Anal. Gr. Vol. III, Agath. 35. p. 45.): v. supra pag. 30.; Sardianus autem dicitur tantummodo in fragmento Babrii apud Apollonium lex. v. *ἄειδε*: v. supra p. 58. quae nomina ducta esse ab iis locis, ubi per maiorem vitae partem degisse dicatur, probabili coniectura post alios suspicatus est Meziriacus vit. Aesop. init. Qui singulas opiniones commemorat, Suidas aliam quandam addit: *Αἴσωπος Σάμιος ἢ Σαρδιηνός· Εὐγείτων δὲ Μεσημβριανὸν εἶπεν· ἄλλοι Κοτυαέα Φρύγα.* Quis vero, quaeso, ille est *Εὐγείτων*, qui *Μεσημβριανὸν* Aesopum fuisse asseveravit a cunctis discrepans? Suidam nominasse virum aliquem non omni auctoritate destitutum, sed historiarum scriptorem antiquiorem, veri simile est: at Eugiton Graecus scriptor fuit nullus: imo ne ipsum quidem nomen aliquo loco commemoratum reperi: quapropter depravatum hoc vocabulum censeo, emendandumque *Εὐγαίων*, Samii nomen logographi antiquissimi. Suidas T. I, p. 882.: *Εὐγείων ὄνομα κύριον. Εὐγείτων* ne

Digitized by Google

apud hunc quidem. Accommodatum est autem ad remotam huius scriptoris aetatem illud, quo Suidas utitur, verbum εἶπεν, quum praeteriti temporis formam, non praesentis elegerit: ac certe ipse Eugeonis scripta non legit, sed ex aliorum, quod saepissime facit, libris notavit. [16]) Tam antiqui vero scriptoris et quidem Samii auctoritas certe in aliquo pretio nobis erit habenda. Mesembrianum autem putant esse ex urbe Thraciae Mesembria oriundum. Et fuit quidem Thraciae urbs procul a monte Haemo sita, ea, quam commemorant Herodotus VI, 33., Strabo VII, p. 491. B. C. Verum eodem Herodoto teste haec Thraciae urbs Darii demum aetate, sexaginta fere post Aesopum annis, condita est a Byzantiis bello Persico expulsis, ita ut Mesembrianus fuisse Aesopus non possit: quo accedit quod Herodotus et Strabo *Μεσαμβρίαν* eam vocant, Eugeon vero *Μεσημβριανὸν* Aesopum dixit, quum tamen etiam Herodoti dialectus Ionica sit. Ego vero *Μεσημβριηνὸν* eum esse puto, *qui e terra versus Meridiem sita originem duxit:* quam significationem forma verbi suppeditat. Erit autem terra πρὸς μεσημβρίην sita ab eodem inde loco definienda, ubi vivebat, qui hoc nomine usus est, Eugeon; quae

16) Hanc quoque coniecturam praeoccupatam vidi postea a Gisberto Cupero Observ. IV, 4. „Apud Suidam alii Samium, alii Cotiea Phrygem, ἐν γείτων (sic ante Kusterum legebatur) δὲ Μεσημβριανὸς εἶπεν, vel uti scribendum iudico, *Εὐγείων δὲ Μεσημβριανόν*, id est *Eugaeon vero Mesembrianum,* faciunt: intelligatur *Εὐγείων* Samius historicus, quem bello Peloponnesiaco longe antiquiorem facit Dionysius Halicarnasseus libro περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος quippe res Samiorum forte memoriae mandans, commode in Aesopi, quem multi Samo oriundum censebant, natale solum potuit inquirere.“

Digitized by Google

fuit Samos insula. Quo fit, ut aut Libya et Aegyptus aut maiore ambitu Asia hoc verbo significetur. Ipsos vero Graecos hoc nomine in errorem inductos pro Thrace Aesopum habuisse, non inepte aliquis coniecerit.

Atque huc facit etiam *Αἰσώπου* nomen: cuius quidem in originem tam multi inquisiverunt, ut eam ex notissima quaque lingua duxerint. Nonnulli enim Hebraeum sermonem fontem esse rati, Aesopum idem nomen esse voluerunt quod Assaph, qui Iudaeorum regis Davidis cantor fuit, omni illi quidem idonea ratione destituti. Iablonskius (Thesaur. Epistol. V. III, p. 170.) Aesopi et Aesepi fluminis Phrygii nomina eiusdem esse originis affirmavit; Reiskius (in epist. ad G. E. Lessing. part. II. Berol. 1789. v. Lessing. opp. Vol. XXVIII, p. 465.) Aesopum corruptum putat ex Iosepho, Iacobi patriarchae filio, antique Isup pronuntiato: quae collegit Harlesius ad Fabr. I, p. 620. Verum haec omnia prorsus ad arbitrium ficta sunt. Nobis Graeca videtur nominis origo ac perfacili investiganda negotio: eam dico, quam his verbis Eustathius expressit ad Odyss. α, p. 17.: *Αἴσωπος ἀπὸ τοῦ αἴθω, ὅ ἐστὶ λάμπω, καὶ ἀπὸ τοῦ ὤψ*: is, cuius ardet, sole combusta, subnigra facies est: quod saepe significatur verbo *αἴθωψ*, a quo proprium nomen *αἴθωπος* ductum est ex analogia aliorum multorum. *Αἴσωπος* autem cur dictus sit, non *Αἴθωπος*, duplex causa excogitari potest. Aut enim litterarum ϑ et σ factum est permutatione, quae creberrima fuit in Asiae oris insulisque adiacentibus (v. Valcken. ad Theocrit. Adoniaz. p. 285. A.; cf. Alcman. fragm. p. 51. sq. Welck.; exemplum aliquatenus accommodatum habes apud Stephanum v. *Κοτυάειον*, quam ipsam patriam Aesopi urbem nonnulli dixerunt, *πόλις τῆς Ἐπικτήτου Φρυγίας. Τινὲς δέ φασι Κοσυάειον ὀφείλει*): aut potest ab aoristo verbi *αἴθω* tempore for-

matum nomen esse, cuius generis ingens nominum copia est, ut Ἡγησιάναξ, Ἀγησίλαος, Θελξινόη cet. Eandem verbi originem, sed paullo detortam, nescio unde, Planudes protulit: ἐτύγχανε δ' ὢν.... μέλας· ὅθεν καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε (τὸ αὐτὸ γὰρ Αἴσωπος τῷ Αἰθίοπι). Ridiculus τοῦ ἐτυμολογίζειν conatus quorundam est apud Camerarium in epist. ad Mich. Rotingum, adiecta fabularum ipsius collectioni, quasi Αἴσωπος sit αἰσίοπος, „a veritate et bonitate praeceptorum et orationis commoditate.“ Nostram etymologiam praeferre Welckerus quoque videtur in libello de Cretica, quae Thebis fuit, colonia p. 16. not., alia simul proposita, quae argutior mihi esse videtur. Quod si nostram probaris, Αἰσώπου nomen potius appellativum dices, quam proprium, quum non tam ipsa viri persona quam populus sive regio, unde oriundus fuerit, eo designetur.

XII.

Ad investigandam Aesopi patriam, absolvendasque has de historicis rebus quaestiones, nonnihil faciet accurata inter fabularum genera distinctio. Quae quum esset admodum difficilis propterea quod testimoniis veterum caremus fere omnibus, adhuc praeter sola generum nomina nemo quidquam exposuit.

Disputavit autem de iis accurate Theo sophista progymn. περ. μυθ.: καλοῦνται δὲ [οἱ λόγοι] Αἰσώπειοι καὶ Λιβυστικοὶ, ἢ Συβαριτικοί τε καὶ Φρύγιοι καὶ Κιλίκιοι καὶ Καρικοὶ, Αἰγύπτιοι καὶ Κύπριοι· τούτων δὲ πάντων μία ἐστὶ πρὸς ἀλλήλους διαφορὰ τὸ προσκείμενον αὐτῷ ἕκαστον (f. l. αὐτῶν ἑκάστῳ) ἴδιον γένος· οἷον Αἴσωπος εἶπεν ἢ Λίβυς ἀνὴρ ἢ Συβαρίτης ἢ Κυπρία γυνή. καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ τῶν ἄλλων. ἐὰν δὲ μηδεμία ὑπάρχῃ προσθήκη σημαίνουσα τὸ γένος, κοινοτέρως τὸν τοιοῦτον

Αἰσώπειον καλοῦμεν .... Αἰσώπειοι δ᾽ ὀνομάζονται ὡς ἐπίπαν οὐχ ὅτι Αἴσωπος πρῶτος εὑρέτης τῶν μύθων ἐγένετο· Ὅμηρος γὰρ καὶ Ἡσίοδος καὶ Ἀρχίλοχος καὶ ἄλλοι τινὲς πρεσβύτεροι γεγονότες αὐτοῦ φαίνονται ἐπιστάμενοι, καὶ δὴ καὶ Κόννις καὶ Κίλιξ καὶ Θοῦρος ὁ Συβαρίτης καὶ Κυβισσὸς ἐκ Λιβύης μνημονεύονται ὑπό τινων ὡς μυθοποιοί· ἀλλ᾽ ὅτι Αἴσωπος αὐτοῖς κατακόρως καὶ δεξιῶς ἐχρήσατο. Insunt his verbis nova haud pauca. Nam non solum omnia recensentur fabularum genera, quae ceteri ex parte tantum nosse videntur; verum etiam homines nominantur plures, quos quanquam fabularum inventione aliquando celebres tamen praeter Theonem commemoravit nemo. Mira vero res atque inaudita! At tamen est tale quid etiam apud Aphthonium progymn., qui καλεῖται δὲ, dicit, [ὁ μῦθος] Συβαριτικὸς καὶ Κίλιξ καὶ Κύπριος, πρὸς τοὺς εὑρόντας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα· νικᾷ δὲ μᾶλλον Αἰσώπειος λέγεσθαι τῷ τὸν Αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους. Similia Priscianus habet Praeexerc. rhet. c. 1329. Putsch. (quo loco male inserta leguntur verba *aliae Aesopiçae*, quae e codicibus iure delevit Lindemannus). Hesychius v. Λιβυκοὶ λόγοι· Χαμαιλέων δέ φησι Λίβυν τινὰ εὑρεῖν τοὺς λόγους τούτους, ubi Λίβυν nomen proprium certi cuiusdam viri esse ne putes: est enim gentile: *ex Libya quidam oriundus*. Erravit autem Harlesius ad Fabr. l. l. p. 627., qui corruptam lectionem Λίβυν τὸν secutus ex Theone inculcare hic conatur Κυβισσὸν τὸν Λίβυν. Sed quid illud est, quod quatuor diversarum fabularum inventores a Theone nominantur, quos nec ante eum nec post quisquam videtur novisse? Commentum est, nisi omnia me fallunt, idque satis lepidum: ficta enim nomina sunt ad singulas gentes eas, in quibus singula apologorum genera floruerunt. Quod primum aperte testatur nomen Κίλιξ, quo Ciliciae fa-

bulae exprimuntur. Atque haud inficete fictus est *Θοῦρος ὁ Συβαρίτης*: utroque enim nomine idem significatur, quum Sybari deleta eodem loco postea Graeci coloni Thurium sive Thurios aedificarint. Quis vero ille fuerit Chamaeleon, qui Libyn quendam Libycarum inventorem dixerit fabularum, ambigi omnino potest: fortasse Chamaeleon fuit Heracleota, philosophus Aristotelicus (Ol. CXX), qui in libro *περὶ ἡδονῆς* Sybaritarum praecipue exemplo usus erat, (v. Athen. VII, p. 273.) ibidemque de fabulis Sybariticis aliisque disseruisse potest. Nomen vero Libyci hominis, *Κυβισσὸς*, sane difficilius explicatu est quam *Κίλιξ* et *Θοῦρος*: potest autem corruptum esse (quanta enim propriorum nominum copia etiamnum corrupta est in libris!) pro *Λιβυσσός*: nam etsi nusquam fortasse haec nominis species legitur, ad multorum tamen aliorum normam formata est; atque hinc tantum provenire ea potuit, quam poetae Latini aliquot locis usurpant, *Libyssinus*. Sed potest etiam idem esse, qui Thaletis filius dictus est *Κυβισσὸς* sive *Κυβισθὸς* apud Diog. L. Lib. I, init. et Plut. Sol. p. 81. E. Denique quid sit Connis, nescire me fateor, quum ne Graecum quidem sit: nisi aut ductum ab oppido Cauno putabis, quod est in ipsa Caria (*λόγοι Καρικοί*) ad Rhodium mare; aut Connum esse sive intelligendum sive emendandum, fortassis eum, qui Socratis in arte musica magister fuit (v. Menag. ad Diog. L. II, 28.) elususque a comicis est, id quod supra attigimus. [17] Cuncta enim ista, quae non pro sua sed pro aliorum nescio quorum opinione in trans-

17) His tamen multo probabilior videtur viri illustrissimi, Niebuhrii, coniectura, quam consultus hoc de loco mecum communicavit, emendandum esse apud Theonem *Κόννις ὁ Κίλιξ*, ut *Θοῦρος ὁ Συβαρίτης*: vitium ex scripturae compendio natum.

Digitized by Google

cursu Theo adiecit, videntur mihi e doctrina manasse male concocta.

Verum tamen non prorsus haec inutilia sunt: testantur enim nobis, viguisse quondam ea fabularum genera, quorum fuisse inventores obscuri illi homines perhibentur. De quibus quid sciri possit, iam videamus.

Caricas fabulas Cilicesque et Cyprias qui praeter Theonem Aphthoniumque commemoraverit, scio neminem, nisi huc referre velis Suidae verba v. *Καρικῇ Μούσῃ· καὶ παροιμία Καρικὸς αἶνος* (iure enim hanc lectionem e codd. Paris. pro *K. οἶνος* revocavit Albertius), quae tamen ad lugubrem Carum in funeribus cantum spectare arbitratur Spohnius de extr. Odyss. parte p. 33. Quae fabulae quales fuerint, nos quidem prorsus ignoramus. Item Lydiae quae fuerint nescio: quas quidem solus anonymus Aphthonii commentator cognitas habuit, laudatus a Bullialdo ad Theon. de Musica c. 13, p. 265. Verum Lydiae istae aut ex Libycis ortae sunt per vocis aberrationem, aut, quod probabilius videtur, inde quod Aesopus nonnunquam Sardianus sive Lydus est nuncupatus, ita ut prorsus eaedem fabulae sint quae Aesopicae. Habet autem haecce scholiasta: *Ἰστέον δὲ ὅτι εἰσί τινες, οἵ Συβαριτικοὺς μύθους λέγουσι τοὺς ἐκ μόνων λογικῶν ζώων, Αἰσωπείους δὲ τοὺς ἐξ ἀλόγων καὶ λογικῶν συγκειμένους, Λυδίους δὲ καὶ Φρυγίους καὶ Λιβυκοὺς τοὺς ἐκ μόνων ἀλόγων ζώων.* quam distinctionem nullius esse pretii statim ostendam. Illud tamen recte instituit, quod Lydias easdem esse voluit, quas Phrygias: Phrygiae enim sunt Aesopicae, quoniam Aesopus vocatus est Phryx. Cypriae illustrantur locutione proverbiali, quae apud Eustathium est ad Odyss. p. 1757., *Φοινικικὰ ψεύδη*: fuit enim in Cypro Phoenicum colonia: imprimis vero fabula de Cadmo saepius *Φοινικικὸν ψεῦδος* vocatur, ut apud Platonem quodam

Digitized by Google

loco: inde factum est vocabulum *φοινικελίκτης* h. e. fallax. v. Hesych. et Suid. s. v. *φοινικελίκτης*. In Asiae autem oris praecipue vigebat auguriorum ars: v. Cic. de Divin. I, 1.

Igitur restant Sybariticae tantum Libycaeque (sive Libysticae) et Aegyptiacae. Sybaritarum mentio non uno apud Aristophanem loco est: Vesp. 1258. Brunck. Bdelycleo effugere Philocleonem posse dicit ebrietatis et turbarum poenam:

. . . ἢν ξυνῇς ἀνδράσι καλοῖς τε κἀγαθοῖς·
ἢ γάρ παρῃτήσαντο τὸν πεπονθότα,
ἢ λόγον ἔλεξας αὐτὸς ἀστεῖόν τινα,
Αἰσωπικὸν γέλοιον ἢ Συβαριτικὸν,
ὧν ἔμαθες ἐν τῷ ξυμποσίῳ, κᾆτ' ἐς γέλων
τὸ πρᾶγμ' ἔτρεψας, ὥστ' ἀφείς σ' ἀποίχεται.

Postquam deinde turbas excitavit, acceduntque qui accusent, primum facetias Aesopicas (*Αἰσωπικὸν γέλοιον*) Philocleo refert v. 1400, deinde *γέλοιον Συβαριτικὸν* concinnum et venustum:

ἀνὴρ Συβαρίτης ἐξέπεσεν ἐξ ἅρματος,
καί πως κατεάγη τῆς κεφαλῆς μέγα σφόδρα·
ἐτύγχανεν γὰρ οὐ τρίβων ὢν ἱππικῆς.
κἄπειτ' ἐπιστὰς εἶπ' ἀνὴρ αὐτῷ φίλος·
ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

quae quum fabula esset Sybaritica (quod Harlesius quoque vidit ad Fabr. l. l. p. 626.), virum Sybaritam poeta finxit, licet suo ipsius ingenio comminisceretur: quo ipso acumine facetissimus poeta ib. v. 1435. sq. eundem Philocleonem eadem in causa inducit verba facientem hac fabula item Sybaritica:

ἄκουε, μὴ φεῦγ'· ἐν Συβάρει γυνή ποτε
κατέαξ' ἐχῖνον — Κατ. ταῦτ' ἐγὼ μαρτύρομαι.
Φιλ. οὑχῖνος οὖν ἔχων τιν' ἐπεμαρτύρατο.
εἶθ' ἡ Συβαρῖτις εἶπεν· εἰ, ναὶ τὰν κόραν,

τὴν μαρτυρίαν ταύτην ἐάσας, ἐν τάχει
ἐπίδεσμον ἐπρίω, νοῦν ἂν εἶχες πλείονα.

Vides apte haec appellari γέλοια, eandemque horum Sybariticorum esse naturam, quae est Aesopici (quod adscripsi supra p. 29.) Verum haec γέλοια sunt, non fabulae Aesopicae. Perperam vero Sybariticarum facetiarum naturam et quod inter eas ac fabulas Aesopicas intercedat discrimen scholiasta descripsit Arist. ad Vesp. 1258.: καὶ οἱ μὲν Συβαριτικοὶ περὶ τῶν τετραπόδων ἦσαν, οἱ δὲ Αἰσωπικοὶ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων. Quod falsum esse ex ipsis Aristophanis verbis perspicitur: in neutra enim fabula Sybaritica τετραποῦν aliquod inducitur, nisi forte equos intellexit hominis Sybaritae currum trahentes; nec Aesopias fabulas de hominibus fingi esse solitas, puellus quisque Graecus enarrare poterat. Sed propter id ipsum corruptelam hic latere puto, transponendisque verbis emendandum: κ. οἱ μ. Σ. π. τ. ἀνθρωπίνων ἦσ., οἱ δ. Αἰσ. π. τ. τετραπόδων. Doctior est enim Scholiasta Aristophanis, quam quem errorem tam manifestum committere potuisse putaverim. Quid? quod idem ad Aves 471. recte omnino sic disputat: τῶν δὲ μύθων οἱ μὲν περὶ ἀλόγων ζώων εἰσὶν Αἰσώπειοι, οἱ δὲ περὶ ἀνθρώπων Συβαριτικοί. εἰσὶ δέ τινες, οἳ τοὺς βραχεῖς καὶ συντόμους λέγουσι Συβαρίτιδας, καθάπερ Μνησίλοχος ἐν Φαρμακοπώλῃ. Distinxerunt autem similiter inter fabularum genera saepius posterioris aetatis homines: v. comment. in Aphthon. progymn., Isidor. Orig. I, 39. Inde est quod Aphthonius Prog. rhet. περ. μυθ. fabularum species posuit hasce: τοῦ δὲ μύθου τὸ μέν ἐστι λογικὸν, τὸ δὲ ἠθικὸν, τὸ δὲ μικτόν. Καὶ λογικὸν μὲν, ἐν ᾧ τι ποιῶν ἄνθρωπος πέπλασται· ἠθικὸν δὲ τὸ τῶν ἀλόγων ἦθος ἀπομιμούμενον· μικτὸν δὲ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων ἀλόγου καὶ λογικοῦ. Quam quidem divisionem (liceat enim in transcursu quaedam addere

Digitized by Google

de fabularum natura ab hoc loco minime aliena) iniquius reprehendisse mihi videntur Christ. Wolfius, philosophus suo tempore illustris, philos. pract. P. II, §. 303, post eumque Lessingius in egregiis de fabula Aesopica dissertationibus (Opp. T. XVIII. p. 87—210.). Nam primum quum illud vituperant, quod genus λογικὸν sic definiens, ἐν ᾧ τι ποιῶν ἄνθρωπος πέπλασται, divinis numinibus nullum locum reliquerit; vere quidem dicunt; sed noluit superos inferre Aphthonius, non oblitus est: et iure quidem optimo, propterea quod in Graecis fabulis plane antiquis et genuinis nullae diis partes datae sunt: id quod deinde paucis exponam.

Illud vero admodum ego miror, quod inter μύθους λογικοὺς et ἠθικοὺς male distinxisse eum dicunt, quoniam quaevis fabula sit et rationalis, ut vocant, et moralis: inventam enim esse fabulam commendandi praecepti moralis causa, et quodvis praeceptum rationi esse consentaneum. Sed vide mihi quam parum verbi ἠθικὸς significationem attenderint: nam ut ἦθος, ἤθη, apud philosophos Graecos et rhetores saepissime significant *propriam alicui indolem, characterem* quem dicunt: ita fabula ἠθικὴ ea est, *in qua indoles naturaque exprimitur animalium:* τὸ τῶν ἀλόγων ἦθος ἀπομιμούμενον, ut ipse Aphthonius recte explicat. Quoniam enim, quod in exordio expositum a nobis est, singulis belluarum generibus certae quaedam insunt naturae leges et rationes agendi, hominum vero ingenium varium est: eae prae ceteris fabulae, in quibus istiusmodi animalia partes tenent, ἠθικαὶ vocantur. Alterum autem genus λογικὸν propterea nuncupatur, quod de λογικοῖς ζώοις ficta est: quales quidem translationes non est quod procul quaeras.

Ita quum Aphthonium defenderim, eam quoque paucis attingam distinctionem, quam ipse Lessingius exco-

gitavit, magno sane cum acumine. Tria igitur genera posuit, quibus eadem illa Aphthonii vocabula indidit, λογικὸν, ἠθικὸν, μικτὸν, ita ut diversam singulorum naturam iisdem nominibus significarit. Etenim λογικὰς fabulas eas esse voluit, in quibus id quod factum esse fingitur, simpliciter ita potest fieri, ut nihil ponatur esse quod non sit in rerum natura; ἠθικὰς eas, in quibus aliquid esse ponatur, quod non sit ex naturae legibus; μικτὰς, in quibus utrumque. In λογικαῖς homines induci volebat, admittebat vero etiam animalia, dum nihil in eorum natura inesse ponatur, quod per naturales leges in ea non insit: qualis est fabula de gallis certantibus (Corais coll. p. 86. sqq.), de olitore et cane (Cor. p. 42.), aliae; in ἠθικαῖς sive fingi numina, quae non sint, deos, heroes; sive animantibus, quae sint, facultates eas, quibus sint praeditae, amplificatas tribui atque elatas: quarum illas *mythice ethicas* appellavit, has *hyperphysice ethicas*: ad illas pertinent fabulae de Iove et Apolline (Cor. p. 116.), de Hercule et Pluto (Phaedr. IV, 11.), de diis, qui in fidem arbores recipiunt (id. III, 15.); hyperphysicae sunt de lupo et agno (Cor. p. 150.), de vipera et lima (Phaedr. IV, 7.), aliae. Mixtarum rursus plures species distinxit: recte quidem: sunt enim fabulae aut logicae simul et hyperphysicae, ut fabula de venatore et leone (Cor. p. 182), aut mythicae simul et logicae: de Hercule et bubulco (Cor. p. 220.); sunt quae mythicae simul et hyperphysicae, ut de Iove et camelo (Cor. p. 124.), de Iove et serpente (Cor. p. 119.), aliae. Magna est sane haec generum multitudo, sed propter quam ingeniosa haec divisio non debeat vituperari. Praeclarum enim acumen: in quo tamen sunt, quae desideres. Namque ut illud mittam, quod, quum res ipsas omnino immutaverit, vocabula retinuit iam quidem minime apta; hoc me ad-

modum delectat, quod, quum multifaria illa divisione comprehendisse se putet omnes fabularum species, nullamque praedicet fabulam cogitari posse, quae ad quam speciem referenda sit, dubius possis haerere, tamen sunt, quarum gratia praeter sex species etiam septima sit invenienda. Qualem ego quum in editis collectionibus nunc non habeam praesto, fingere ipse conabor.

Canis, qui homini multos annos servierat fidelis, quum senescens imbecillus esset factus et caecus, ut ad praestanda ministeria vires deficerent, ab hero fuste domo est expulsus. Cui canis: „Quid? ait, quum tot annos omnibus te viribus adiuverim, tu nunc servitio tuo debilitatis viribus paucos me dies alere recusas? At nihil motus est homo: canis expulsus est. Tum ad coelum miseriam conquerens suam, Iovis implorabat auxilium. Iupiter misertus in coelum sustulit canem, coelique iussit esse sidus.

Qui bene meriti de hominibus ingrato ab iis animo tractantur, deos habent praemii auctores.

Habes in hac fabula λογικὸν Lessingii, hominem, ac τοῦ ἠθικοῦ speciem utramque: mythicum, Iovem; hyperphysicum, canem. Igitur septima species ea erit, quae logica est simulque mythica et hyperphysica. Quae ingens est nominum copia. Sed haec velim benignus praetermittas utpote in transcursu annotata. Nos vero unde digressi sumus, eo revertimur.

Scholiastarum distributiones per se ineptas iure suo reiicit Theo, prudens admodum homo (Prog. l. l.): *οἱ δὲ λέγοντες τοὺς μὲν ἐπὶ τοῖς ἀλόγοις ζώοις συγκειμένους τοιούσδε εἶναι, τοὺς δὲ ἐπ' ἀνθρώποις τοιούσδε, τοὺς δὲ δυνατῶς ἐχομένους τοιούσδε, εὐήθως μοι ὑπολαμβάνειν δοκοῦσιν· ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς προειρημένοις εἰσὶν ἅπασαι αἱ ἰδέαι.* Hoc tamen non inepte mihi videor affirmare, non iniuria quosdam Sybariticas fabulas dixisse τὰς βραχεῖς

Digitized by Google

καὶ συντόμους, ut est in schol. l., earumque summam contineri acuto quodam dicto potius quam actione per totam fabulam pertexta, ita ut quod datur praeceptum a singulari magis homine vel bestia pronuntietur, quam a poeta tota argumenti compositione proponatur. Haec igitur fabularum species propius accedit ad eas historiolas, quae sive fictae sive verae atque ex certorum hominum vita decerptae, vernaculo sermone vocantur Anecdoten, in delectationem magis quam in admonitionem confictae. Quam in sententiam perducit me primum insigne quod inter Italorum ingenium et Graecorum est discrimen, ut in illis acumen et saepe argutia praevaleat, in his poetica facultas; deinde quod, quas Aristophanes finxit fabulas Sybariticas, earum ea est natura, quam descripsi. Faciunt huc quae Suidas scripsit v. *Συβαριτικαῖς· καὶ Συβάρεια ἀποφθέγματα παρ' Ἐπιχάρμῳ, καὶ Συβαριτικοὶ λόγοι οἱ Αἰσώπειοι.* Dicteriis eiusmodi saepissime lusisse Epicharmum, comoediae, quam coluit, naturae consentaneum est omnino: ac certe eiusdem generis fuerunt quae hic vocantur *Συβάρεια ἀποφθέγματα* et *Συβαριτικοὶ λόγοι*, quod non satis accurate Suidas explicavit adiectis verbis *οἱ Αἰσώπειοι.* Omnino autem in Magna quae dicitur Graecia assiduus videtur fabularum dicteriorumque Aesopicorum usus fuisse: quod ut explicaretur, novum *Ἑλλὰς μυθοτόκος* commentum excogitavit, id quod legitur apud Hesychium v. *Συβαριτικοὶ λόγοι· τὸν γὰρ Αἴσωπον ἐν Ἰταλίᾳ γενόμενον σπουδασθῆναι σφόδρα φασίν, ὡς καὶ τὸ τῶν λόγων αὐτοῦ ἐπιδαψιλεῦσαι καὶ Συβαριτικὸν προσαγορευθῆναι· παροιμιῶδεις οὖν οἱ Συβαριτικοὶ λόγοι.*

Atque ita tandem id explicatur, quod a nemine adhuc observatum quum primum reperiebam, perquam me offendit. Etenim Isidorus Orig. I. 39. quum de fabulis

Aesopicis disseruit, haec addit: „Has primus invenisse traditur Alcman Crotoniensis.“ Mira vero narratio et quae solis quibusdam Aeliani verbis aliquatenus illustratur (H. A. XII, 3.): qui postquam Aegyptios multa garrire narravit, de ove quadam prodigiosa, octo pedibus duobusque capitibus praedita vocemque edente, sic pergit: Ὁμήρῳ μὲν οὖν φωνὴν Ξάνθῳ τῷ ἵππῳ δόντι συγγνώμην νέμειν ἄξια, ποιητὴς γάρ· καὶ Ἀλκμὰν δὲ μιμούμενος ἐν τοῖς τοιούτοις Ὅμηρον οὐκ ἂν φέροιτο αἰτίαν· ἔχει γὰρ ἀξιόχρεων εἰς αἰδῶ τὴν πρωτίστην τόλμαν. Αἰγυπτίοις δὲ κ. τ. λ. Haec licet eo quoque referri possint, quod Alcman, qui Physica imprimis curabat, de immortalitate animae disputasse videtur, eamque bestiis quoque tribuisse (de eo v. Diog. L. VIII, c. Menag.): non sufficere tamen hoc puto ad illud explicandum; existimandumque ita potius est, etiam in Magna Graecia, ut aliis locis multis, mature enatas eas fabulas esse, et quidem ante deletam Sybarin, h. e. ante Ol. LXVI. Sunt autem Sybariticae fabulae in nostris collectionibus haud paucae, a rhetoribus argutis posteriore tempore fictae, velut πατὴρ καὶ θυγατέρες (Cor. p. 175), σαλπιστὴς (id. p. 84), παῖς λουόμενος (id. p. 204), aliae multae. Atque eos ipsos fortasse significavit Suidas: ἐγένετο δὲ λογοποιὸς, ὅ ἐστιν εὑρέτης λόγων καὶ ἀποκριμάτων: cuius generis ἀποκρίματα sive ἀποφθέγματα multa diserte Aesopo ipsi tribuuntur cum ab aliis, tum vero a Plutarcho et Stobaeo: v. Plutarch. Sept. Sap. Conv. locis permultis, Stob. VI. p. 81., XLIII. p. 270., CV. p. 564. cet. Quorum partem suae Aesopi vitae descriptioni Planudem inseruisse, supra commemoratum est.

XIII.

De Libystica fabula perpaucis locis dicitur, qui tamen ad perspiciendam eius naturam fere sufficiunt.

Digitized by Google

Ex quibus gravissimum est Aeschyli fragmentum e Myrmidonibus, servatum a scholiasta Aristoph. ad Aves 808., qui leviter tragicum perstrinxit: verba sunt Achillis, qui, quod suis armis ornatum Patroclum in pugnam atque letum procedere permiserit, lamentatur (v. Aeschyl. fr. Both. p. 575.)

ὡς δ' ἐστὶ μύθων τῶν Λιβυστικῶν λόγος,
πληγέντ' ἀτράκτῳ τοξικῷ τὸν ἀετὸν
εἰπεῖν, ἰδόντα μηχανὴν πτερώματος·
τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς
ἁλισκόμεσθα.

Quae quidem fabula deinde in proverbium abiit: v. Gatak. Miscell. post. c. 12., Casaub. in Athen. XI, p. 493, f., Toup. Emend. in Suid. II, p. 14.; cf. Porso ad Eurip. Med. 139. Eandem postea plures narraverunt (v. Cor. collect. p. 74. sq.): pravis eam versibus Tzetzes inclusit (Chil. IX, 260.), qui ipsi Aesopo inventam eam dicit, prorsus ut Aristophanes eundem Archilochi fabulae auctorem facit. Est autem in ea nihil, quo ab Aesopica discrepet: ex quo colligitur, eandem esse Libysticam fabulam et Aesopicam. Quod etiam Aristotelis verbis affirmatur hisce: Rhet. II, 20.: *παραδειγμάτων δ' εἴδη δύο ἐστίν· ἓν μὲν γάρ ἐστι παραδείγματος εἶδος τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα, ἓν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν. τούτου δὲ ἓν μὲν παραβολή, ἓν δὲ λόγοι, οἷον οἱ Αἰσώπειοι καὶ Λιβυκοί·* cuius utriusque generis exempla deinde commemorat. Aesopicos autem *λόγους* et Libycos non pro diversis generibus ponit, sed explicat verbo *καί*, non adiungit: idque inde perspicitur quod ipse inter eas non distinguit, sed duas eiusdem speciei fabulas addit pro exemplis, alteram Stesichori de equo et cervo inter se certantibus, Aesopi alteram de vulpe et erinaceo; adiecit autem *Λιβυκοί* propterea, puto, quod tum temporis pervulgatum illud vocabulum apud

Digitized by Google

omnes erat. Iam vero Dio Chrysostomus Or. V. (Tom. I, p. 188. ed. Reisk.), professus se *Λιβυκὸν μῦθον* esse narraturum, rhetorice exornatam fabulam exponit de belluis quibusdam horrendis, *in Libyae desertis* vagantibus; quae quum superam corporis partem formosissimae mulieris habeant, inferam horrendi draconis, illa exserta, hac fruticibus abscondita, soleant ad se allicere homines allectosque devorare; idque accidisse Graecis iuvenibus duobus ad Iovem Ammonem missis; in quod belluarum genus quum magno cum exercitu impetum rex Libyae fecisset, necatas quidem esse multas; at ceteras, quae abfuissent, audita suarum clade hostem persecutas deprehendisse milites fatigatos ac dormientes maximamque partem enecuisse: his belluis similes esse voluptates. Vides suo ingenio rhetorem hanc fabulam concinnasse: quod autem totius narrationis caput est, vere Aesopicum dixeris. Sumsit vero id quod exornat Dio ex Alexandro Myndio: v. Athen. V, p. 221. b. Ac fortasse huc referendum quod apud Suidam legitur v. *Λίβυσσα ὄρνις· ἡ στρουθοκάμηλος. ἐν Μυθικοῖς·*

Ἀλλὰ Λίβυσσα
Στροῦθος ἁλισκομένη πλάζε καὶ ἀμφοτέρους.

et apud eundem Suidam v. *Γέρανος* hi Babrii versus:

Λίβυσσα γέρανος ἠδὲ ταὼς εὐπήληξ
Χλωρὴν ἀεὶ βόσκοντο χείματος ποίην.

Igitur Libycae bestiae in fabulis frequenter partes obtinebant. Atque hoc, opinor, in mente habebat Himerius sophista, quum Or. XX, p. 718. haec scribebat: *Λόγον δὲ ὑμῖν οὐ Λιβυστικόν τινα ἢ Αἰγύπτιον, ἀλλ' ἐκ μέσων τῶν πάνυ Φρυγῶν, ὅπου καὶ τὸ πρῶτον ὁ μῦθος ἐγένετο, ἐν αὐτοῖς εὑρὼν τοῖς Αἰσωπείοις ἀθύρμασιν, ἐθέλω καὶ πρὸς ὑμᾶς διηγήσασθαι.* Quam vero Phrygiam omnino et Aesopicam dicit fabulam, in ea Apollinem inducit

cum Musis; narratque illo fidibus canente belle saltare Musas; tum dulci sono adduci Dryades et Hamadryades nymphas, easque immisceri choro ac deas sibi videri esse: quae quum rustice saltent, indignabundum Apollinem non quidem tela iaculari, sed vehementer chordas plectro pellere, ac montem Heliconem iratum mittere vocem, nymphasque increpare. Et recte quidem hoc Himerius vidit, non esse hanc Libycam fabulam; perperam vero Aesopicam esse opinatus est. Genuinam enim Aesopi comminiscendarum fabularum rationem prorsus fuisse alienam a talibus narrationibus, quae ad mythologiam potius pertineant, non est quod multis exponam: sophista autem ille fabulae naturam tam parum perspectam habuit, ut ne singularem quidem rei actionem proposuerit, sed quod in universum soleat fieri: id quod capitale in fabula vitium esse agnoverunt omnes. — Verum tamen non iniquius ille carpendus est: nam similes fabulae mythologicae ad Aesopum multis ante annis a viris sapientibus relatae sunt; posteaque, quidquid fabulae speciem prae se ferebat, Aesopicum esse dicebatur. Longe diversa vero antiquissimarum fabularum natura fuit: quod quum supra quoque attigerim, nunc quidem paucis explicabo.

Perlustranti tibi fabulas tum antiquiores tum recentiores apparebit illico, non solum bestias verum etiam modo superiores iis naturas, deos et homines, modo inferiores iisdem res, flumina, plantas, montes, similia, in fabulis induci: hinc Aphthonius λογικὰς, ἠθικὰς, μικτὰς distinxit. Verum si ad antiquissimas, quae servatae sunt, Graecas recurreris, in iis nihil nisi bestias partes sustinere intelliges. In Hesiodi fabula in medium procedunt accipiter et luscinia; in Archilochi altera vulpes et aquila, in altera simius et vulpes; apud Alcaeum cancer et serpens; in Stesichori fabula

(Aristot. Rhet. II, 20.) equus et cervus (qui enim ibi homo est, secundarias tantum partes agit); in ea, quam Samiis Aesopum recitasse Aristoteles dicit (l. l.), vulpes et erinaceus; in ea denique, quam eundem morti proximum retulisse apud Delphos narrant (Arist. Pace 128, Vesp. 1445. c. schol.), aquila et scarabeus: atque ita in antiquissimis et optimis quibusque fabulis bestiae aut solae inducuntur aut primarias certe partes obtinent. Cuius rei causa in eo sita est, quod unumquodque animalium genus certe descriptam habet ac propriam sibi quandam naturam agendique regulam; hominum vero ingenium varium est ac multiplex, itemque divinorum numinum singulorum natura non ita artis circumscripta finibus est, ut certa quaedam animorum proprietas aut bona aut mala exprimi iis possit: id quod ab initio huius commentationis accuratius expositum a nobis est. Atque illa quidem antiqua fabula et genuina proprium sibi habebat nomen *αἶνος*: quod tamen vocabulum perpaucis hodie locis reperitur: apud Hesiodum l. l., apud Archilochum bis, in Callimachi fragmento choliambico (Ammon. de Diff. verb. v. *αἶνος* p. 8., quod eorum qui fabulas collegerunt investigasse video neminem, et cuius argumentum fortasse non multum abhorrebat ab ea, quae in Corais coll. exstat p. 84. [18]), apud Suidam v.

18) Liceat hoc loco aliquot commemorare fabulas a collectoribus adhuc neglectas: In Procopii Persic. p. 3. l. 42 sqq. ed. Hoesch. victus belli dux cladem regi narrat tecte per fabulam, quae si dictionem exceperis satis elegans est. In Achillis Tatii Leuc. et Clitoph. Am. II, 30. sq. fabula quaedam narratur, ad quam prope accedit ea, quae in Cor. coll. legitur p. 89., multo tamen minore cum elegantia multoque brevius narrata. Egregiam fabulam apud Iustinum XLIII, 4. Segobrigiorum regi Ligur quidam refert

Digitized by Google

Καρικῇ Μούσῃ. Et Theo quidem de Musica c. 18.: „*καὶ ὁ συλλογισμὸς δὲ καὶ ἡ ἐπαγωγὴ καὶ ὁ Λιβυκὸς καὶ ὁ μῦθος καὶ ὁ αἶνος λόγος λέγεται*. Stesichori fabulam *αἶνον* vocat Cono narrat. 42. Apollonius lex. Hom. v. *αἶνος* p. 68. Vill. *αἶνος .... ποτὲ δὲ γνώμη, παραμυθία καὶ παραβεβλημένος λόγος πρός τι ὑποκείμενον, οἷον*

(eam, quam numeris inclusit Phaedrus I, 19.); apud Isidorum Orig. I, 39. Atheniensibus Demosthenes: cui similem sed eam valde ineptam in Cor. coll. habes p. 155. Quem Gellius II, 29. exponit apologum, et descriptum ex Manuscr. Florent. et conversum de Gellio in Graecum sermonem, nec vero Latinum, recepit Coraës p. 127. sqq. — Etiam quibus fabulae tanguntur scriptorum locos aliquot dabo neglectos. Qui in Archilochi fabulas plures notavit, Huschkius diss. de Arch. fab. p. 24. sqq. praetermisit Plutarch. Sept. Sap. Conv. p. 152. E. Aeschyli fabula Libyca Ptolemaeus rex Aegypti Sosibium elusit facetissime: v. Athen. XI, p. 493. sq., ubi lege Casaub. Fabulam de leone et parvulo mure Iulianus spectavit ep. VIII. ad Georg. p. 379., item Libanius ep. XLII.; fabulam de leone et vulpe cautissima Theodorus Metoch. Miscell. philos. c. 83. p. 546. sq. ed. Müeller. Idem omnino frequentissime fit apud posteriores sophistas et rhetores: minime tamen Nicetas Eugen. Narr. Am. V, 351. respexit fabulam de vulpe et persona tragica (Phaedr. I, 7.), quod h. l. opinatus est Boissonadus. Saepe Romani quoque fabulas tangunt: ut Plautus Rud. V, 2, 39. de satyro et homine (eandem Sext. Emp. adv. Math. VIII, 103.). Denique Horatium notissimo versu: „Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus" fabulam respicere aliquam puto, et habet eam, nescio unde, Phaedrus IV, 22.: quam antiquam esse, inde fortasse concluseris, quod ea ipsa Agesilaum rex Aegypti perstrinxisse dicitur ab Athenaeo XIV, p. 616, d. Facete eandem narravit Vincentius Bellov. Spec. doctr. l. III, id quod notavit Lessingius Opp. T. II. p. 255.

Digitized by Google

Αἶνος μέντοι ἀμύμων, ὃν κατέλεξας (Odyss. ξ, 508.) Magis aperte Etymol. Gudian. p. 19, 47.: *αἶνος παροιμίας διαφέρει· ὁ μὲν γὰρ αἶνός ἐστι λόγος μυθικὸς ἐκφερόμενος ὑπὸ ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν. παροιμία δὲ τὴν ἀπὸ κεφαλῆς ἐπὶ χειρὸν* (sic) *ἀναφορὰν ἔχει ἐνδέουσαν τοῦ αἴνου.* recte quidem: cf. Valck. ad Ammon. p. 6., Wyttenb. ad Plut. Mor. T. VI, p. 971. Animi causa addam quae Suidas habet v. *αἶνος*: *λόγος παροιμιώδης.* Parum vero accuratę explicat; et quod apponit exemplum, aenigma est, non fabula, mutilum quidem apud ipsum, sed quod ita expleri potest ex Athenaeo p. 452, c. et auctario ad Phaedri fabulas (v. Brunck. Anal. III, p. 308.)

Αἶνος τίς ἐστιν, ὡς ἀνήρ τε κοὐκ ἀνὴρ
ὄρνιθα κοὐκ ὄρνιθ' ἰδών τε κοὐκ ἰδὼν
ἐπὶ ξύλου τε κοὐ ξύλου καθημένην
λίθῳ τε κοὐ λίθῳ βάλεν τε κοὐ βάλεν.

qui lusus est, ut videtur, comici alicuius poetae; quo hoc significatur: eunuchus strabus vespertilionem ferulae insidentem pumice petiit atque aberravit. Quae verbi *αἶνος* significatio hisce Theonis verbis explicatur (Prog. *περ. μύθ.*): *νῦν μέντοι καὶ τὰ αἰνίγματα αἴνους τινὲς καλοῦσι.* Sed haec in transcursu. Alii *αἶνον* a ceteris fabulis ita distinxerunt: *αἶνος μύθου διαφέρει τῷ τὸν αἶνον μὴ πρὸς παῖδας, ἀλλὰ πρὸς ἄνδρας πεποιῆσθαι, καὶ μὴ πρὸς ψυχαγωγίαν μόνον ἀλλὰ καὶ παραίνεσιν ἔχειν τινά. βούλεται γὰρ παραινεῖν τε καὶ διδάσκειν, ὅπερ Ἡσίοδος φαίνεται πεποιηκώς.* schol. Arist. Vesp. 1258. Item accurate Theo l. l. *αἶνος δὲ ὅτι καὶ παραίνεσίν τινα περιέχει· ἀναφέρεται γὰρ ὅλον τὸ πρᾶγμα εἰς χρησίμην ὑποθήκην.* Etenim posteriore aetate quum fabulae pueris potius quam viris aptae esse putarentur, distinguendae erant ab iis antiquiores, quae totae in usu positae fuerant, ad admonendum ac persuadendum fictae. Igitur

Digitized by Google

in iis proprie bestiis tantum partes erant concessae: haud sero tamen prolati esse fines videntur, et ea omnia admissa, in quibus insignis quaedam et acriter expressa esset natura: hoc enim totius fabularum generis fundamentum est atque caput. Hinc Iupiter mox locum aliquem occupavit, quippe in quo summa potestas, itemque Hercules, in quo eximium corporis robur exprimeretur; eademque ratione de laurea et olea fabulam Callimachus finxit, in quarum utraque virtus aliqua erat insignis: inde Eustathius ad Il. *ι*, p. 796. (cf. id. ad Odyss. ξ, p. 1768.) et Etymol. Gudian. l. l. *αἶνον ἐκφερόμενον* dicunt *ὑπὸ ἀλόγων ἢ φυτῶν*, et Eustathius quidem Callimachum disertis verbis commemorans. Postea vero quum in puerorum ludis exornari fabulae coeptae sunt, quidquid vel exiguam earum speciem prae se ferebat, quocunque velis modo inventum et compositum, fabulam dixerunt; et praecipue quidem mythologica quaedam commenta, eaque satis antiquo tempore, ad Aesopum auctorem retulerunt. [19])

19) Sensisse illud ipsi Graeci videntur. Postquam enim deflexit paullum de propria ac primaria via fabularum natura, abstinebant a verbo *αἶνος*, usique sunt potius vocabulis *λόγος* et *μῦθος*, quibus proprie quaevis oratio et narratio significabatur. Prudenter Theo l. l. *προσαγορεύουσι δὲ αὐτοὺς τῶν μὲν παλαιῶν οἱ ποιηταὶ μᾶλλον αἴνους, οἱ δὲ μύθους. πλεονάζουσι δὲ μάλιστα οἱ καταλογάδην συγγεγραφότες τὸ λόγους ἀλλὰ μὴ μύθους καλεῖν· ὅθεν λέγουσι καὶ τὸν Αἴσωπον λογοποιόν. Πλάτων δὲ ἐν διαλόγῳ τῷ περὶ ψυχῆς πῇ μὲν μῦθον πῇ δὲ λόγον ὀνομάζει. εἴρηται δὲ μῦθος οἷον λόγος τις ὤν, ἐπεὶ καὶ τὸ μυθεῖσθαι τὸ λέγειν ἐκάλουν οἱ παλαιοί.* Distinguit autem inter *λόγον* et *μῦθον* Plato eo quem ille dicit loco (Phaedo. p. 61, a.), ubi Wyttenbachius (Comment. p. 127.) fictam fabulae partem *μῦθον*, veram (praeceptum) *λόγον* appellari putat. Quod non probo: est enim *μῦθος* potius ea fabula, quae tota fictio est,

Ex paucis, quos protuli, veterum locis quantum de Libycarum fabularum natura colligi potest, fuit ea omnino congruens cum genuina Aesopi fabulas fingendi ratione. Aliae fuerunt omnino Aegyptiae. De Aegyptiorum sapientia multa a multis disputata sunt: et constat quidem, secretum aliquid et obscurum ac triste in rebus Aegyptiorum sacris et profanis regnasse omnibus. Eadem vero natura narrationum Aegyptiarum fuisse videtur. Quamobrem iam pridem recte Camerarius fab. Aes. coll. p. 405. sq. „Fabulae Aegyptiacae, inquit, nonnihil videntur ab ipso genere Aesopicarum recedere: atque hae aliquid innuunt ambagibus verborum occultatum et tectum, vel de rerum natura vel de Diis vel de moribus et prudentia vitae communis. Hanc quandam philosophandi rationem in illa

eaque tota ad poetas pertinet, *λόγος* vero fictio cui subest praeceptum, quae quidem non poetarum modo est, sed rhetorum quoque: *λόγος* ubique aliquam habet mentis significationem. Aesopicae autem fabulae promiscue nunc *λόγοι* nunc *μῦθοι* vocantur: ipse Aesopus *μυθοποιός* et *λογοποιός* (interdum etiam, sed ab inferioris aetatis scriptoribus, *λογογράφος*: de quorum verborum discrimine docte et acute disputavit Pierso ad Moerin p. 244.; cf. Vales. in Harpocr. p. 121.). Post in usum venit verbum *ἀπόλογος*: Schneid. lex. s. v.; quo Latini quoque scriptores usi sunt, Cicero de Or. II, 66., de Invent. I, 17.; Plautus Stich. II, 2., 37., Pers. I, 3, 66.; Ausonius ep. XVI, 74. sq.; *logos* Seneca dixit Consol. ad Polyb. 37. Praeterea aliis quoque vocabulis fabulae Aesopicae appellantur: *γελοῖα* Aristophanes dixit Vesp. 566. 1258. v. Hesych. v. *Αἰσώπου γελοῖα*: hinc Avienus praef. ad fab. *ridicula*; *Αἰσώπου μυθάρια* Plutarch. de audiend. poet. p. 14, E.; saepe *μῦθοι καὶ πλάσματα*: v. Wyttenb. ad Iulian. Orat. I, p. 11. D. cf. Boissonad. not. in Marin. vit. Procl. p. 113. Eleganter *Αἰσώπεια ἀθύρματα* Himerius Or. XX. p. 718.

gente viguisse, multis argumentis indicatur: quae fuit Graecis quidem admirabilis visa.“ Igitur diversae sunt a Libycis fabulis et Aesopicis Aegyptiae eo, quod istae obscuriores et philosophicae potius erant, illis doctrina inerat simplicior et planior, ad vitamque communem et mores ac prudentiam spectans. Inferioribus plerumque animantibus, ratione carentibus bestiis, vitaque omnino non praeditis arboribus, montibus, plantis, aliis rebus, Libystica utebatur; superioris dignitatis animantibus, numinibus divinis maioribus minoribusque Aegyptiaca: species fuerunt eiusdem generis diversae quidem, sed tamen similes. Atque tales fabulae permultae non solum apud veteres reperiuntur omnes, verum etiam in vulgaribus fabularum Aesopicarum collectionibus: nec vero negari potest, ab ipsis veteribus Aesopo has quoque Aegyptiacas esse tributas. Quarum quum exempla afferri possint permulta, in paucis nos acquiescemus. Et Plato quidem in divino libro Phaedone §. 9. sqq. (p. 16. ed Heind.) praeclare observat, illud, quod suave vocent homines, et illud, quod triste, res esse tam singulares, ut nunquam alterum cum altero simul inesse in homine possit; quando vero alterum ille captet, necessitate cogi ut alterum quoque arripiat, *ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύ' ὄντε. Καί μοι δοκεῖ*, sic Socrates pergit, *εἰ ἐνενόησεν αὐτὰ Αἴσωπος, μῦθον ἂν συνθεῖναι, ὡς ὁ θεὸς βουλόμενος αὐτὰ διαλλάξαι πολεμοῦντα, ἐπειδὴ οὐκ ἠδύνατο, συνῆψεν εἰς ταὐτὸν αὐτῶν τὰς κορυφὰς, καὶ διὰ ταῦτα ᾧ ἂν τὸ ἕτερον παραγένηται ἐπακολουθεῖ ὕστερον καὶ τὸ ἕτερον.* Vides recedere istam fabulam omnino a vitae quotidianae institutione ad philosophiam. Eadem illius fabulae ratio est, quam Aesopum nautis iratum recitasse Aristoteles refert Meteorol. II, 3.: *ὡς δὶς μὲν ἡ χάρυβδις ἀναῤῥοφήσασα, τὸ μὲν πρῶτον τὰ ὄρη ἐποίησε φανερὰ, τὸ*

δὲ δεύτερον τὰς νήσους, τὸ δὲ τελευταῖον ῥοφήσασα ξηρὰν ποιήσει πάμπαν. cf. Themist. XXXII, p. 359.; Plutarch. Consol. ad Uxor. p. 1082.; Augustin. adv. Acad. II, 3.; Tyrwhitt. dissert. de Babr. p. 17. 18. 68. sq.; Corais collect. fab. Aes. p. 253. sq.

Inesse in his fabulis quod admodum concinat cum Aegyptiorum ingenio ac natura, manifestum est. Fuit autem in iis etiam aliud quid, ex quo fabularum usus enasci quasi sponte debebat, signa illa abscondita dico, quae ἱερόγλυφα vocantur. Etenim observatum iam pridem est, simplicissima ad exprimendas notiones et varias animi facultates signa hieroglyphica esse animalia, quum praesertim, subtiliter expressa cuiusvis natura, singulis singulae fere virtutes singulaque vitia designari possint. Quum vero signis hieroglyphicis omnibus quaedam insit imago, necesse est, ut is, qui scribat, non singulas tantum notiones, sed totam, quam cogitat, rem mente concipiat continua imaginum serie contextam: quo fit, ut id, quod cogitet, historiae vel fabulae speciem induat. Ut exemplo, quid mihi velim, declarem, si signis exprimenda talis sententia est: „pius isque infirmus saepe laeditur a potentiore eoque impio"; notari ponamus infirmam innocentiam imagine agni, impiam potentiam signo lupi: iuxta se ponenda erunt haec signa, addendumque aliud nescio quid, quo eorum inter se coniunctio significetur. Atque ii quidem, quorum est nosse haec arcana, satis quae istis imaginibus exprimatur sententia intelligent: qui vero non imbuti sunt subtili hac et exquisita doctrina, imagines tantum eas esse putantes facile narrationem inde et fabulam component. Adde quod, quum apud Aegyptios supremae potestatis pars magna penes sacerdotes esset, quibus solis concessae erant artes et disciplinae, illi percommode hac utebantur via ad rerum

cognitionem ac sapientiam populo partim impertiendam partim celandam.

XIV.

Postquam quae de Aesopo fabulisque Aesopicis a scriptoribus veteribus tradita nobis sunt, exposui cuncta, atque, quantum per exiguum locorum classicorum numerum, densasque, quibus haec quaestio tecta erat, caligines fieri poterat, et quantum meae sufficiebant vires, ponderavi ac diiudicavi: videndum nunc tandem est, quae summa sit eorum, quae sine haesitatione aliqua pro veris certisque ponere nobis liceat.

Opinor autem, me primum hoc manifestum reddidisse, posterioribus Graeciae temporibus ingenti commentorum copia quasi circumvolutum esse atque occultatum Aesopi nomen, in eaque re non pauca profluxisse ex comicis poetis graecis: ita ut de cunctis, quae de Aesopo circumferuntur, narrationibus perpaucae relinquantur, quibus fidem abrogare non possimus: servum fuisse Aesopum in Samo insula, idque Amaside in Aegypto regnante; profectum Delphos, orta eum inter et cives nescio qua lite, peremtum esse ab iratis hominibus iniusta nece: quorum quidem pars maior apud Herodotum legitur. Haec ut fide digna habeam, facit primum Herodoti auctoritas: quae licet olim a multis ita parvi habita sit, hodieque a nonnullis habeatur, ut mendaciorum eum quam historiae patrem appellari maluerint, nostro tamen tempore a praeclaris quibusdam viris vindicata est, suaque palma donata; ita ut complura, quibus olim Herodotus toto coelo aberrasse putabatur, nunc demum ad veritatis regulam exacta esse appareat. Quoniam autem Aesopus ad Samum praecipue insulam pertinet, ibique inprimis celebratus per hominum ora esse videtur: unde factum est, ut Herodotus et, siqui-

dem coniectura me non fefellit, Eugeon Samius de eo dixerint: et quoniam Herodotum in eadem insula commoratum esse iuvenem constat inter omnes: certe diligentem hunc rerum exploratorem Samias illas fabulas accurate cognitas habuisse per mihi videtur veri simile: quo quidem etiam ea ducunt, quae de Rhodopide prorsus ad veritatem disputavit, id quod in appendice demonstrabitur. Atque haec ipsa cum Rhodopide coniunctio narrationi de Aesopo aliquam fidem conciliat: nam quum celeberrima ea fuerit facta, ipsiusque Sapphus versibus contumeliosis famosior reddita, fieri facile poterat, ut qui idem insignis eadem aetate eiusdem heri servus esset, Aesopus quoque in transcursu a poetria commemoraretur. Eam vero, qua Aesopus vixit, aetatem commentis variis ac multiplicibus occultatam esse, et eximiorum, qui illo aevo floruerunt, hominum multorum vitam fabulis esse obtectam atque deformatam, fugit me minime: verum enim eadem aetas ab ea, quae historiae luce claret, tam prope abest, ut tum quoque hominem, qui non unquam vixerit, de nihilo confictum esse persuadere mihi equidem non possim. Haec enim virorum complurium doctorum et acutorum opinio fuit, multum illa diuque postea a multis iactata. Audi tu Camerarium, qui in epist. ad Mich. Rotingium in calce collectionis fabularum ita scripsit: „Sed quorundam non aliena penitus a veritate est opinio, fictum esse Aesopi nomen, et diversorum inventa sapientiae quasi sub persona quadam deformitatis, qua Aesopus ipse introducitur, ut scimus, ad communem instructionem vel etiam castigationem proposita fuisse, ut veritatis odiosa simplicitas et re et nomine ipso adumbraretur.“ Qui quidem in eo mire aberrarunt, quod Aesopi deformitatem huc facere putarunt: nam ut illud nescirent, postea demum hoc commentum a

nescio quo esse excogitatum, si fabularum naturam fabulatoris persona exprimere volebant, qui primi talia fingerent, debebant pulcram potius et gratam, quam turpem et displicentem omnibus eius faciem fingere, quum in fabulis id, quod extra est, narratio, sit elegantissimum, grave autem ac severum id, quod intus est, veritas. — Ceterum totum Aesopum commentis deberi, etiam vir doctus in Act. philos. anni 1715. Vol. I, p. 954. sqq., et Bruckerus hist. crit. philos. Vol. I, p. 453. sq. variis rationibus demonstrare conati sunt. Mihi, quod dixi, hoc dubitandum non videtur, vixisse aliquando virum quendam alienigenam in Samo insula servum, qui ex peregrina quadam terra ad Graecos fabulas deportaverit. Quae regio qualis fuerit si quaesieris, ambigi quidem poterit: in duabus enim terris diversis fabulae aliquando floruerunt, et in Asia et in Africa. Et Libycas quidem fabulas genuinas esse Aesopias, cognatas Aegyptiacas, ipsas quoque Aesopo tributas, evicisse me puto: apud Libyes fabularum inventio immani quanta ferarum varia ac multiplici copia adiuvabatur, apud Aegyptios hieroglyphis; ac facere huc videantur nomina *Αἴσωπος* et *Μεσημβριηνός*. Verum tamen ponderatis cunctis quam accuratissimo iudicio perduci eo debere mihi videor, ut ex Asia, non ex Africa originem fabulatoris repetam.

Quod in ipsa huius dissertationis fronte probare sum conatus, fabulas Aesopicas humanae naturae ita esse accommodatas, ut in quovis populo, cuius incorrupta adhuc et genuina sit natura, naturali quodam ingenii motu mature provenire si non debeant, at certe facile possint: id illis, quae paucis quidem sed iis certissimis veterum testimoniis usus de variis fabularum generibus disputavi, confirmatur omnino. Floruit enim poetica haec fabularum philosophia in terrae partibus ad-

Digitized by Google

modum inter se remotis, in Asia, in Libya, in Italia, in Graecia: quarum tamen nulla laetius eam florentem vidit, quam Asia. Etenim ea quum Asiaticorum hominum, si quorum aliorum, ingenio accommodata sit mirifice; quippe quibus audacissimae quaeque imagines ac mire exornatae maxime placeant, summopere apud eos divulgata reperitur. Inter quos insignem locum Indi obtinent, a quibus ad alias in Asia gentes multas fabularum libri celebratissimi permanarunt: sicut valde remoto tempore in Iudaeorum libris sacris fabulas perscriptas esse in exordio huius libelli monui. Deinde in Asiae citerioris gentibus fere omnibus eas maxime fuisse frequentatas expositum est: fuerunt enim Phrygiae, Caricae, Ciliciae, Lydiae, Cypriae: Persis fabulam Cyrus narravit, id quod e sincero quodam fonte haurire Herodotus poterat omnino. Iam vero etsi Phryx Aesopus postea demum dictus est, subesse tamen causa debebat aliqua, ob quam ex hac eum terra quam ex alia repetere mallent; atque Herodotus licet non commemoret apud Croesum versatum eum esse, poterat tamen, quoniam paucis tantum in transcursu Aesopi res tangit, optime cognitum illud habere. Libycae autem fabulae per Cyrenaeos ad Graecos devenerunt et celebres sunt factae: fervebat enim hoc tempore inter Cyrenem et Graecos commercium, postquam iterum illuc a Graecis colonia erat deducta; v. Herod. IV, 159. sqq.; et Aegyptus quoque tum Graecis omnino patebat, atque concessum ab Amaside rege Naucratis emporium iis erat, ad quod Graecorum turba magna confluebat: v. Herod. II, 178. sq. Attamen nomina *Αἴσωπος* et *Μεσημβρινὸς* ita parum definita sunt, ut tam ad interiorem Asiae partem, quam ad eam, quae proprie Graecis ad meridiem sita est, Libyam, transferri possint.

Quae quum ita sint, sic existimandum nobis erit,

Digitized by Google

hominem quendam, fabulas comminiscendi arte egregie excellentem, ex interiore Asiae nescio qua regione ad oras Ioniae delatum magnam ibi nominis famam esse adeptum: cuius quum postea notitia ad ceteros Graecos devenisset, exornatam eius personam variis esse apud eos commentis, ita ut quum apud populares suos ut notam quandam artem exercens non tam insignis fortasse fuisset, postea fama singulari celebratus fuerit, donec congestis per saeculorum postremorum decursum multis in eum fabulis miris ac partim ineptis, immutata prorsus ac depravata genuina eius imagine, in argutulum hominem ex sapiente sit commutatus. Itaque hanc quaestionem, etsi ad probabilitatem fortasse tantum perductam, iam ego mitto, persuasum habens ipse, in eiusmodi rebus, qualis est haec, ultra probabilitatem quandam procedi non posse: nam etiam atque etiam affirmandum nobis est, quod Quintilianus dicit (I. O. V, 2.): „Graecis historicis plerumque poeticae similis est licentia", et quod Plinius: „Mirum est quo procedat Graeca credulitas: nullum tam impudens mendacium est quod teste careat."

XV.

Absolutis his quaestionibus unum restat disputationis caput, quod versatur in examinandis iis, quae ut apud Graecos de Aesopo, sic apud Arabes de Locmane fabulatore circumferuntur. Etenim quoniam fuerunt multi, qui Aesopum et Locmanem eundem fuisse hominem affirmarint, hanc provinciam prorsus detrectare tum propter meum quod animo informavi consilium, tum propterea non poteram, quod ipse Aesopum ex Asia in Graeciam venisse dixi. Quum vero litterarum Orientalium ignarus sim omnino, verendum sane mihi est, ne quid committam, quo graves audaciae poenae

luendae sint. Sed poscor labore proposito: ac fortasse erit quo, vitatis quibus circumdatus sum periculis, nonnullius aliquid pretii afferam.

Est autem iactatum saepe et ventilatum illud, mirum quantum consona inter se esse ea quae de Aesopo apud Graecos et quae de Locmane [20]) apud Arabes narrentur, atque eas, quas Locmanis nomine insignitas habeamus, fabulas et argumentis et argumentorum tractatione tam prope accedere ad Graecas Aesopi, quae in vulgaribus libris leguntur, ut fieri non possit, quin alter alterum exscripserit. Iam vero et Aesopum et fabulas Locmanicas Aesopicasque ii, qui Graecis Latinisque litteris addicti erant Philologi, Graeciae, qui Orientalibus, Asiae vindicare studebant, ac suum utrique fabulatorem inventorem fuisse, alterum imitatorem, quovis pignore contendebant. Quam quidem litem pace quadam dirimere conatus est I. Fr. Hirtius, qui sententias virorum doctorum in utramque partem disputantium recensuit, et eas, quibus Locmanis apologos Aesopo antiquiores esse persuasum habebat, rationes explicavit, refutatis iis, quibus adducti nonnulli Locmanem eundem atque Aesopum fuisse censuerunt (v. Act. Acad. Elector. Mogunt. anni 1767. I, p. 583. sq.). Igitur Hirtius Locmanem inventorem, imitatorem Aesopum putabat. Ego vero quod huncce librum quamvis data opera adipisci non potui, atque mihi acquiescendum fuit in perpaucis iis, quae ex Harlesio ad Fabr. Bibl. Gr. T. I, p. 651. sq. modo adscripsi, doleo quidem vehementer. Verum tamen solatium aliquod in

20) Ita hoc nomen flecti commode posse opinor potius quam Locmannus: sicut Graecum nomen Alcman. Editorem autem, de quo statim dicam, Moscoviensem, additis pronominibus Christianum Friedericum Matthaei nuncupo, ut Ptolemaeum Lagi.

Digitized by Google

eo positum erat, quod Hirtium non potuisse ad liquidum hanc rem perducere, ne dicam omnino recte tractare, persuasum mihi erat. Repertus est enim in abscondito quodam terrae angulo haud paulo post scriptam ab Hirtio dissertationem (annum scilicet 1756.), liber aliquis, qui adhuc fuerat ignotus, exiguus ille quidem, sed momenti in nostram rem maximi: fabulas dico Syntipae, qui vocatur, philosophi Persae, quas e duobus codicibus Moscoviensibus primum edidit Christianus Friedericus Matthaei, litterarum humaniorum in Academia Caesarea Moscoviensi professor publicus, Lipsiae 1781, insertas praeter unam omnes magnae suae fabularum collectioni a Coraë. Quo magis ego his Syntipae fabulis ad componendam litem adhuc usum esse neminem demiror. Quis ille fuerit, cuius hae fabulae feruntur, Syntipas, nec in Graecis Latinisve libris reperitur, nec aliunde quisquam explicavit. Sed legitur in libro Moscoviensi epigramma versibus conscriptum pessimis, ex quo, si non multum, at certe aliquid lucis lucramur: quod hic describemus, iudicium secuti partim Corais praef. ad fab. coll. p. μ. sq., partim Christiani Matthaei, partim nostrum:

Ἡ ἀρχὴ τῆς βίβλου ἔνε οὕτως.
Τοῦ μυθογράφου Συντίπα κατὰ Σύρους,
Μᾶλλον δὲ Περσῶν τοῦ σοφοῦ λογογράφου,
Αὕτη πέφυκεν, ἣν βλέπεις, δέλτος, φίλε·
Ἣν καὶ Συρικοῖς τοῖς λόγοις γεγραμμένην
Εἰς τὴν παροῦσαν αὐτὸς Ἑλλάδα φράσιν
Μετήγαγόν τε καὶ γέγραφα τὴν βίβλον,
Τῶν γραμματικῶν ἔσχατός γε τυγχάνων,
Ἀνδρεόπωλος Μιχαὴλ, Χριστοῦ λάτρις,
Ἔργον τεθεικὼς προστεταγμένον τόδε
Παρὰ Γαβριὴλ, τοῦ μεγιστάνων κλέους,
Δουκὸς σεβαστοῦ πόλεως Μελωνύμου.

Ὡς δ' ἐστὶ Χριστοῦ θερμὸς ὄντως οἰκέτης,
Ὡς καὶ διωρίσατο γραφῆναι τάδε,
Ὅτι γε μὴ πρόσεστι Ῥωμαίων βίβλοις.
Ἡ συγγραφὴ γὰρ ἥδε τοὺς κακεργάτας
Διασύρει μάλιστα καὶ πρὸς τῷ τέλει
Πράξεις ἐπαινεῖ τὰς καλῶς εἰργασμένας.

De grammatico Michaele Andreopulo ac Duce Gabriele pariterque de urbe Melonymo, quod ad explorandam harum fabularum originem vestigia monstret, nihil usquam scriptum reperitur. Sed in eodem codice Moscoviensi, in quo hae fabulae, scriptus erat alius libellus, cui eiusdem Syntipae nomen praefixum erat, hoc indice: *Μυθολογικὸν Συντίπα τοῦ φιλοσόφου, τὰ πλεῖστα περίεργον, ἐκ τῆς Περσικῆς γλώσσης μεταφρασθέν.* Huius libri mentionem iam Cangius fecit Gloss. med. et inf. Graecit. T. II, p. 33., apud quem hoc est initium: πρόλογος τοῦ λεγομένου Συντίπα τοῦ φιλοσόφου μεταβληθεὶς ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου ὡς εἶχεν αὐταῖς λέξεσιν εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν. Διήγησις .... idem apud Montefalcon. Bibl. biblioth. Mss. p. 478.: unde Fabricius hausit Bibl. Gr. T. XI, p. 342. sq. Harl. Quo in libello narratur de Cyro Persarum rege eiusque filio et pellice et septem philosophis; estque ea narratio, ut paucis rem absolvam, in Graecum sermonem conversa ex Arabico fabularum libro, cuius in ceteras Orientales linguas multas factae sunt interpretationes, et qui auctorem habere fertur scriptorem quendam Arabicum, quem Sindbad nuncupant: cuius nominis Graece flexam formam esse *Συντίπας* ita apertum est, ut mirandum sit valde, qui omnes hoc viros doctos fugere potuerit: de eo homine eiusque libro qui plura scire cupiat, adeat Gautherii prolegomena ad Gallicam libri interpretationem qui Gallice inscribitur Mille et une nuits, et cuius nuper Germanica

quoque versio prodiit. Puto equidem, si coniecturam proferre licet, etiam Sindbad falsò libri auctorem nominari: namque in magna huius libri parte ipse Sindbad ut philosophus personam sustinet: ac variis quidem temporibus variae huic libro fabulae additae sunt. Facit autem huc quod in titulo interpretationis Graecae legitur (v. Fabric. l. l.) πρόλογος τοῦ λεγομένου Συντίπα κ. τ. λ. et in fine: Ταύτην οὖν διήγησιν προϊστόρησε Μοῦσος ὁ Πέρσης. Ad hunc vero librum pertinet illud quod descripsi epigramma: teste enim ipso editore Moscoviensi praef. p. VIII. scriptum est illud „folio 250. ante fabulam de Cyro"; certe nonnisi illa narratio ab ipso interprete significatur hoc versu Αὕτη πέφυκεν ἣν βλέπεις δέλτος. Quare levitas editoris fuit, qui p. VI. „Utrumque librum, dicit, Syriace scriptum, suadente Gabriele....., Graecum fecit Michael Andreopulus" cet. Non deerat quidem, fateor, quod in hanc eum opinionem perducere poterat: est enim talis fabularum in Codice index: Συντίπα τοῦ φιλοσόφου ἐκ τῶν παραδειγματικῶν αὐτοῦ λόγων. Sed fallaci eiusmodi titulo fidem temere non debuerat habere; editoris enim est inquirere in libri, quem est editurus, auctorem. Ac false quidem Syntipae has fabulas tribui, etiam Coraës suspicatus est: nec tamen satis ipsi rationis fuit ad tuendam suam sententiam. Licet enim negari non possit, inesse in his fabulis locutiones quae monachum redoleant, ut fab. 18. (p. 65. coll. Cor.) verbum εἰδωλεῖον, petitum ex sacris libris Corinth. I, 8, 10.; item fab. 11. (p. 241. coll. Cor.) ἐν ᾧ μετρῷ μετρεῖ τις, μετρηθήσεται αὐτῷ, quod sumsit ex Evangel. Matth. VII, 2., et fab. 48. (Cor. p. 246.) εὐλαβὴς et αἱρετισάμενος, quas esse ἐκκλησιαστικὰς λέξεις dicit; et fab. 54. perobscoenam illam loquacemque et inficetam Byzantii potius hominis libidinosi quam

Digitized by Google

Persae esse fetum, quos *μακρολόγους* quidem esse et *μωρολόγους*, verum non item *αἰσχρολόγους*: haec ut neque vera esse nego et esse alicuius momenti affirmo ipse, ita tamen ad evincendam fraudem non sufficiunt: poterat enim locutiones illas per interpretationem monachus immiscere, quippe quas in numerato haberet omnes, obscoenamque illam fabulam fortasse nec Asiaticus scriptor narrare vereretur. Mihi vero ementitum esse Syntipae philosophi Persae nomen audacter asseveranti aliud argumentum in promptu est, quod quum ita videatur apertum esse, ut animum vel leviter attendentem fugere nequeat, mirandum est sane, a nemine adhuc, nec ipso quidem, qui colligendis adeo fabulis eo perduci debebat, Coraë ad profligandum Syntipam esse expromtum.

Etenim fabularum, quas vocamus, Syntipae plurimae cum Graecis aut omnino aut magna ex parte consentiunt. Quae Graecae licet saepissime posterioris aetatis fabularum scriptores, Babrium, Aphthonium, Themistium, alios, auctores habeant, qui an ex Persicis fabulis suas hauserint, dubitari certe potest: insunt tamen nonnullae, quae ad remotissimam Graeciae antiquitatem recedunt, et quas ex Graecorum scriptorum ingeniis provenisse dubitari nulla ratione potest. Quod quidem ipsis exemplis comprobare iam est necesse. Lege Syntipae fabulam quartam et vigesimam, *Ἀετὸς καὶ ἀλώπηξ*.

Ἀετός τις ἀλώπεκι φιλιωθεὶς τοὺς αὐτῆς μετὰ ταῦτα καταβέβρωκε σκύμνους· ἡ δὲ πρὸς αὐτὸν μὴ δυναμένη τῆς θείας δίκης ἐδεῖτο κατ' αὐτοῦ. μιᾷ γοῦν συμβέβηκε θυσίαν τινὰ ἐπὶ βωμοῦ κατακαίεσθαι. ὁ δὲ ἀετὸς καταπτὰς βρῶμα ἐκεῖθεν ζέον ἐξήρπασε καὶ τοῖς ἑαυτοῦ νεοσσοῖς διαδέδωκεν. οἱ δὲ νεοσσοὶ ἐσθίοντες ὑπὸ τῆς ζέσεως εὐθὺς διεφθάρησαν.

Ὁ μῦθος δηλοῖ, ὡς οἱ τῶν ἀνθρώπων δυνάσται καὶ ἄδικοι,

εἰ καὶ παρὰ τῶν ἀδικουμένων μηδὲν πάσχουσιν, ἀλλά γε τοῖς ἐκείνων ἀραῖς θείαν ἀγανάκτησιν ἐπισπῶνται.

Ista quidem fabula vel sola demonstratur, scriptorem non philosophum Persam fuisse, sed Graeculum infacetum. Eam enim ipsam antiquissimus ipsoque Aesopo antiquior Archilochus invenit, quod testatur fragmentum eius quamvis exiguum:

Αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε,
ὡς ἄρ' ἀλώπηξ κἀετὸς
ξυνωνίην ἔθεντο.

ad quod cetera supplentem vide Huschkium. Quae ad eam pedestri sermone conscriptae sunt ab inferioris aetatis auctoribus, Coraës collocavit p. 1. sq. 297. sq. Discrepant autem paullulum istae a Syntipae commento: in ceteris enim aquila quum cibum ab ara rapuisset, igniculis ipsi inhaerentibus nidus pullique sunt concremati; Syntipas autem fervido cibo, non igne, fetum interemtum esse finxit: imprudenter vero satis: nam si tantus fuit cibi fervor, ut, qui ederet, interno aestu combureretur, qui fieri quaeso potuit, ut ales aut rostro aut unguibus eum portans ardoris nihil sentiret? Sed captaverat, opinor, praeclarus homo fabulam, quam in magistelli ludo puer declamaverat, egregioque suo ingenio immutavit quaedam, Archilochum scilicet correcturus. Et vide mihi, etiam alteram Archilochi fabulam expressit de vulpe et simia (Synt. f. 14., Cor. p. 241.) cui ineptissimam hanc addidit doctrinam: *οὗτος ὁ μῦθος παριστᾷ τὸν τοὺς ψευδολόγους ὀρθῶς διελέγχοντα καὶ τοὺς προδήλως τὸ ψεῦδος ἀντὶ ἀληθείας προσφέροντας*: at quanto prudentior fabulae Augustanae scriptor (v. Aug. Matthiae Miscell. philol. V. I, p. 25.) *Οὕτω*, dicit, *καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ ψευδολόγοι τότε μάλιστα καταλαζονεύονται, ὅταν τοὺς ἐλέγχοντας μὴ ἔχωσιν.*

Aliam nunc fabulam addamus, quae etsi non tam

Digitized by Google

est antiqua quam quas modo attuli, certe Platonis aetate ac fortasse etiam prius inter Graecas celebrata fuit: notissimam dico de leone aegrotante et vulpe fabulam, egregiam illam et vere Aesopiam: in quam quos Horatius fecit lepidissimos versus (Epist. I, 1, 73. sqq.) meminisse iuvat:

Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar aut fugiam quae diligit ipse vel odit:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Plato, ipsum Aesopum fabulae auctorem dicens, Alcib. I. p. 123.: *Κατὰ τὸν Αἰσώπου μῦθον, ὃν ἡ ἀλώπηξ πρὸς τὸν λέοντα εἶπεν, καὶ τοῦ εἰς Λακεδαίμονα νομίσματος, εἰσιόντος μὲν τὰ ἴχνη τὰ ἐκεῖσε τετραμμένα δῆλα, ἐξιόντος δὲ οὐδαμῇ ἄν τις ἴδοι.* Quam fabulam dialogo Alcibiade esse antiquiorem, ex ea qua tangitur ratione apparet manifesto: dialogus autem iste, etsi non ipsius fortasse Platonis, tamen admodum antiquus est ac nescio an Platonici alicuius discipuli. Videtur autem mihi philosophus Persa Aphthonii esse imitatus fabulam: licet enim singulis saepiuscule verbis differant, sententiae tamen singulae in utraque eaedem omnino sunt: v. Cor. p. 78. sq.: cuius quidem imitationis exempla in promtu sunt permulta.

Iam ne sim longior, indicabo tantum quas philosophus antiquas expresserit fabulas Graecas. Servavit Athenaeus XIII, p. 605. in Euripidem epigramma Sophoclis hocce:

Ἥλιος ἦν, οὐ παῖς, Εὐριπίδη, ὅς με χλιαίνων
γυμνὸν ἐποίησεν· σοὶ δὲ φιλοῦνθ' ἑτέραν
Βοῤῥᾶς ὡμίλησε . . . . .

quo notissima fabula significatur de Sole et Borea, ut

viatori pallium detrahant certantibus (v. Cor. p. 200. sq.): eam imitatus Syntipas est fab. 55.; Menenii Agrippae quem ad plebem dixit apologum, fab. 35. expressit, cuius epimythio ipsa Romanae fabulae imitatio videtur indicari. Poteram secundam quoque Syntipae fabulam pro argumento apponere nobilissimam de sene fatigato, Mortem advocante sed conspectae horrore perculso: hanc enim Euripides videtur respexisse Alcest. 66. sqq.

Μάτην ἄρ' οἱ γέροντες εὔχονται θανεῖν,
γῆρας ψέγοντες καὶ μακρὸν χρόνον βίου.
ἢν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται
θνήσκειν· τὸ γῆρας δ' οὐκ ἔτ' ἔστ' αὐτοῖς βαρύ.

Poteram multas quoque alias afferre, quae antiquae ac Graecis ex fontibus haustae videntur. Quoniam autem illi Euripidis versus fortasse per se quoque possunt intelligi, et de ceterarum fabularum auctoribus non satis constat; et quoniam iis, quae exposui, demonstratum esse arbitror, tam antiquas Graecisque non subtrahendas fabulas non posse istum philosophum non esse imitatum, ideoque nec Persicas eas esse nec Syriacas, verum esse Graecas: haec de isto sententiae meae documento exposuisse sufficiat; licetque iam aliud quoddam addere, quo non minus earum origo monstratur.

Etenim insunt in duabus et sexaginta his fabulis Moscoviensibus (hoc enim nomine eas insignire iam praestat) complures, quae neque apud scriptores Graecos neque in libris manuscriptis hucusque publici iuris factis, neque in vulgatis fabularum collectionibus reperiuntur. Quae quidem plerumque adeo ab Aesopi ingenio alienae sunt, ut earum laudem monacho invisurum esse putaverim neminem. Habe tibi pauca exempla: lege ineptissimam philosophi fabulam 48. hanc:

Ἀνήρ τις τῶν εὐλαβῶν τυγχάνων τάχα καὶ τοῖς πρακτέοις

σεμνῶν, ἐπὶ χρόνον ἱκανὸν εὐμαρῶς τοῖς ἰδίοις παισὶ συμβιοτεύων, μετὰ ταῦτα ἐνδείᾳ περιπίπτει ἐσχάτῃ· καὶ τὴν ψυχὴν καιρίως ἀλγῶν, ἐβλασφήμει τὸ θεῖον καὶ ἑαυτὸν ἀνελεῖν ἀπηναγκάζετο. Λαβὼν οὖν σπάθην ἐπί τινα τῶν ἐρημικῶν τόπων ἔξῄει, θανεῖν μᾶλλον αἱρετισάμενος ἤπερ κακῶς ζῆν. Πορευόμενος δὲ λάκκον τινὰ βαθύτατον ἔτυχεν εὑρηκὼς, ἐν ᾧ χρυσίον οὐκ ὀλίγον παρά τινος τῶν γιγαντιαίων ἀνδρῶν ἀπετέθειτο, ᾧ Κύκλωψ τὸ ὄνομα. Ἰδὼν δὲ ὁ δῆθεν εὐλαβὴς ἀνὴρ τὸ χρυσίον, φόβου εὐθὺς καὶ χαρᾶς ἀνάπλεως γίνεται, καὶ ῥίπτει μὲν τῆς χειρὸς τὸ ξίφος, αἴρει δὲ τὸ χρυσίον ἐκεῖθεν, καὶ ἄσμενος ἐπὶ τὴν οἰκίαν καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ ἐπανέρχεται. Εἶτα ὁ Κύκλωψ ἐπὶ τὸν λάκκον ἐλθὼν, καὶ τὸ μὲν χρυσίον μὴ εὑρηκὼς, ἀντ' αὐτοῦ δὲ κείμενον ἐκεῖσε τὸ ξίφος ἑωρακὼς, αὐτίκα τοῦτο σπασάμενος ἑαυτὸν διεχειρίσατο.

Ὁ μῦθος οὗτος δηλοῖ, ὡς τοῖς σκαιοῖς ἀνδράσιν ἀκολούθως ἐπισυμβαίνει τὰ φαῦλα, τοῖς δὲ ἀγαθοῖς καὶ εὐλαβέσι τὰ ἀγαθὰ ταμιεύεται.

Ineptissima vero fabula, atque ineptior etiam doctrina: nec vero ex ipsius quidem insipidi hominis ingenio prolata ea est, sed sumta ex epigrammate, quod in Anthologia exstat, hocce:

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπεν βρόχον· αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
ὃν λίπεν οὐχ εὑρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Ac vide sis, quam egregie Cyclopem suum descripserit, quem latronem vel furem opinatus esse videtur. Praeterea in hac ipsa fabula sunt, quas Coraës dicebat *ἐκκλησιαστικὰς λέξεις*: *εὐλαβὴς, αἱρετισάμενος*. Sed ne in ineptiis laborem, hoc tantum addam, admodum perversam fabulae doctrinam saepe Graeculum composuisse: veluti, sexagesimae quum illud esset argumentum, anseres et grues eodem campo ambulasse, et insidiante venatore grues quidem facile aufugisse, anseres propter pinguedinem remansisse atque captas esse: doceri ea hoc voluit: *οὗτος ὁ*

Digitized by Google

λογος παριστᾷ τοὺς μὴ ὁλοτρόπως τοῖς ἑαυτῶν φίλοις προσανέχοντας, ἀλλ' ἐν καιρῷ περιστάσεων τούτων ἀφισταμένους.

Scilicet egregium auxilium contra venatorem anseribus praestitissent cycni (hos enim satis inepte pro gruibus elegit doctus homo, quasi pinguiores anseres sint cycnis)! Qui fieri tandem potuit, ut sanus homo hanc potius esse sententiam non perspiceret, quam recte alius nescio quis expressit: *ὅτι καὶ ἐν ἁλώσει πόλεως οἱ μὲν ἀκτήμονες εὐχερῶς φεύγουσιν, οἱ δὲ πλούσιοι δουλεύουσιν ἁλισκόμενοι.* — Possum id genus alia proferre multa, ut fab. 38, 6, cet., sed nolo bonum otium male consumere.

Illud tamen addo, duas esse in Moscoviensibus fabulas, quae paucis verbis mutatis alio loco iterum legantur: cf. fab. 30. et 29., 42. et 27. Quod novum argumentum est meae sententiae, collectionem hanc esse Graeculi nescio cuius obscuri. Accedit hoc denique, quod in his fabulis nihil omnino inest, quod Persarum vel Arabum terrae moribusque proprium Persicam originem testetur.

Igitur manifestum esse arbitror, harum fabularum scriptorem fuisse postremae aetatis hominem nobis quidem ignotum, additumque temere ab eo qui codicem scripsit hunc titulum: *Συντίπα τοῦ φιλοσόφου ἐκ τῶν παραδειγματικῶν αὐτοῦ λόγων.* Quod ut faceret, causa haec fuit, satis idonea vero in homine parum accurate agente, quod etiam in mythistoria, quae hunc fabellarum librum in codice praecedit, Syntipae nomine insignita, fabulae narrantur 27, diversae tamen a nostris. Michael vero Andreopulus et Gabriel dux et urbs Melonymus [21]) qui fuerint, neque scio neque scire la-

21) Coraës *Μελενικοῦ* pro *Μελωνύμου* scripsit, addita ratione: *πόλις Μελώνυμος δὲν εἶναι εἰς τὸν κόσμον.* Scio: sed ne-

Digitized by Google

boro: neque enim in fabulas, sed in mythistoriam epigramma scriptum est. Quo autem scriptae illae sint, tempus certo definiri quidem non potest: puto tamen esse saeculum, quod vocant, decimum vel undecimum, tum propter versuum epigrammatis genus, tum propterea quod codices Moscovienses, teste editore, scripti sunt saec. XIII. vel XIV., quorum alius quis codex isque antiquior exemplar fuit: Moscovienses enim permultis foedissimisque mendis scatent. Denique quomodo in Moscoviam illi delati sint, Constantinopoli vel in vicina quadam urbe olim servati, facillime explicatur.

XVI.

Quae paullo copiosius modo exposui, iam pro fundamento adhibebo ad evincendum id, quod proprium mihi in hac dissertationis parte fuit consilium.

Non deberi Arabum ingenio quas habemus Locmanis fabulas, eadem ratione demonstratur, qua modo Persicas non esse quae Syntipae feruntur intelleximus. Etenim, quod mirandum est doctissimos, qui de iis disputaverunt, viros fugisse, sunt etiam inter Locmanis fabulas quas ab antiquis auctoribus Graecis inventas esse dubitari nullo modo potest. Nam nobilis fabula de leone aegroto et vulpe animalium vestigiis territa, quam ab Horatio versibus expressam Platone antiquiorem vidimus esse, inter Arabicas sexta est; quarta et trigesima Locmanis est antiqua de Sole et Borea fabula, Sophocle adeo antiquior (v. supra p. 101.); de sene et Morte

que Melenicus ubi esset, docuit. Frequentissima est autem circa hoc tempus in *ωνυμος* terminatio, nihil significans, ut *Νικώνυμος* pro *Νικηφόρος*, *Μυρώνυμος* pro Myrensi: hinc urbem Melitenen vel Melaenas significari suspiceris: v. Steph. Byz. s. vv.

apologus, quem Euripides tetigisse videtur, Locmanis quarta decima est; Menenii Agrippae coram plebe narrata de ventre et membris fabula, inter Arabicas est secunda trigesima. Iamque licet illud quoque urgere, multas, quae apud Babrium, Aphthonium, Plutarchum, alios, leguntur, multo antiquiores partim esse, partim esse posse, certe ex citeriorum scriptorum ingenio, plerumque satis pusillo, non omnes confictas: multae enim recentiores videntur propterea tantum quod antiquiorum, qui eas sunt commenti, scriptorum loci deficiunt.

Iam vero quum Graecam fabularum Locmanicarum esse originem vel hoc solo argumento pateat; fontem quoque earum indicari posse arbitror. Etenim quum primum Locmanis fabulas legebam, Graecarumque eas, quae magis minusve ad illas prope accederent, diligenter et inter se et cum Arabicis comparabam: manifesto statim intellexi, e Graecis omnibus ad Arabicas proxime accedere fabulas Moscovienses, quas Syntipae breviter appellemus. Quod quum sensissem, coepi omni cum studio totum Syntipam cum Locmane conferre: quo facto illud clare intelligebam, quae fabulae apud utrumque eaedem reperirentur, eas omnes ad verbum fere concinere, nec posse ullo modo fieri, quin collectas has a Byzantio homine fabulas Arabs aliquis in suis conscribendis pro exemplari sit secutus. Quod quidem ipsis comprobare documentis iam locus est. Exordium capiam ex secunda Locmanis fabula, quae ex Erpeni (Gramm. Arab. p. 209.) interpretatione talis est:

Cervus quum aliquando sitiret, ad aquae venit fontem ut biberet, viditque imaginem sui in aqua, ac tristatus est ob pedum suorum gracilitatem: gavisus vero est et superbivit cornuum magnitudine et excellentia. Ac statim egressi contra eum sunt venatores, a quibus

fugit. Quum autem in planitie esset, non assecuti sunt eum: at cum montem deinde ingressus esset, et inter arbores transiret, ceperunt eum venatores atque occiderunt. Dixitque moriturus: Vae mihi misero! quod me servavit, id vilipendi; in eo confisus sum, quod me perdidit.

Quae ad verbum expressa est ex Syntipae f. 13.

Ἔλαφός τις διψῶσα κατῆλθεν ἐπί τινα πηγὴν τοῦ ὕδωρ πιεῖν. Ἰδοῦσα δὲ ἐν τῷ ὕδατι τὸ τοῦ σώματος ὁμοίωμα, τῇ μὲν τῶν ποδῶν λεπτότητι ἀπηρέσκετο, τῇ δὲ τῶν κεράτων μορφῇ ἐπετέρπετο. Ἄφνω δέ τινες ἐφίστανται θηρευταὶ καὶ ταύτην ἐδίωκον· καὶ καθόσον μὲν ἐπὶ τῆς πεδιάδος ἔτρεχε, τῶν διωκόντων περιεγένετο· φθάσασα δὲ εἰς ἕλος ἀπροσδοκήτως εἰσελθεῖν, τῶν αὐτῆς κεράτων τοῖς κλάδοις συμπλακέντων, ὑπὸ τῶν διωκόντων καταλαμβάνεται· καὶ στενάξασα ἔφη· οἴ μοι τῇ ταλαιπώρῳ, ὅτι ἐφ' οἷς ἀπηρεσκόμην, ὑπ' αὐτῶν μᾶλλον διεσωζόμην· οἷς δὲ ἐκαυχώμην, ὑπ' αὐτῶν δὴ καὶ ἀπόλλυμαι.

Et possim quidem hac ratione cunctas utriusque scriptoris fabulas perlustrare, ut fere ubique geminos eos esse ostendam: verum tamen ne longior sim, visum est, addita utriusque una, ceteras indicare tantummodo quae sibi respondent singulas. Quam autem dico, nobilis illa est de leone aegroto et vulpe cauta (Erpen. Gr. Ar. p. 217.).

Leo aliquando cum senuisset et debilis factus esset, nec praevaleret ulli ferarum, voluit sibi dolo acquirere victum, et morbum simulans se in speluncam quandam abiecit. Accidit autem, ut, quotiescunque accederet ad eum ferarum aliqua ipsum visitatura, eam in specu dilaceraret et devoraret. Venitque ad eum vulpes, et substitit ad ostium speluncae, ac salutavit eum dicens: qualis est status tuus, o princeps ferarum? Dixitque ei leo: quamobrem non ingrederis, o pater pul-

critudinis? Respondit vulpes: confiderem ego in hoc, domine, nisi viderem apud te vestigia multorum pedum, qui ingressi sunt, quorum ne unum quidem video egressum esse. Syntipae fab. 37.

Λέων γηράσας τις καὶ ἀτονήσας καὶ ἑαυτὸν μὴ δυνάμενος διατρέφειν, ἐπειρᾶτο μηχανικῶς διαζῆν. νοσεῖν οὖν προσποιούμενος κατέκλινεν ἑαυτὸν ἔν τινι σπηλαίῳ· εἶτα τῶν ἄλλων θηρίων εἰς ἐπίσκεψιν αὐτοῦ παραγινομένων, εὐθὺς ἕκαστον αὐτῶν ἁρπάζων κατήσθιε. γνοῦσα δὲ ἡ ἀλώπηξ τὴν αὐτοῦ πανουργίαν, οὐκ ἤθελε πρὸς αὐτὸν ἀνελθεῖν, ἀλλὰ μακρόθεν ἑστῶσα ἐπηρώτα τὸν λέοντα, ὅπως δῆθεν τὰ κατ' αὐτὸν ἔχει. ὁ δὲ πρὸς αὐτὴν ἔλεγε, τίνος χάριν οὐκ εἰσέρχῃ πρός με; ἡ δὲ ἀλώπηξ ἀντέφησεν· ὡς πολλῶν ἴχνη ἐνταῦθα ἑώρακα εἰσελθόντων μὲν, μὴ ἐξελθόντων δέ.

In postremis interpretem Arabem addidisse quaedam vides, ut lepidas appellationes *pater pulcritudinis, princeps ferarum*: idque facit saepius. Sed saepe etiam, quae Graeculus fuse enarrat, ad suum Arabs ingenium contraxit aliquantum dixitque concisius. Quamobrem quum modo liberius modo pressius exemplar suum secutus sit vir optimus, qui dicitur Locman: eas tantum fabulas notabo, quarum prae aliis insignis est consensus: conferas ergo sis fab. Locm. 25. et Synt. f. 23., fab. Locm. 28. et Synt. 5., fab. Locm. 32. et Synt. 35., fab. Locm. 35. et Synt. 7., fab. Locm. 1. et Synt. fab. 13., fab. Locm. 9. et Synt. fab. 10.

Discrimen saepius est insigne fabulas Syntipae inter et Graecas reliquas: quod quum habet locum, cum Syntipa semper, non cum aliis Graecis, Locmani convenit. Lege fabulam Locmanis nonam:

Cervus aliquando cum sitiret, venit ad fontem aquae, ut biberet: erat autem aqua in puteo profunda: unde quum ille deinde conaretur ascendere, non potuit. Viditque eum vulpes et dixit ei: O frater mi, fecisti

male, quod non perpenderis ascensum tuum ante descensum tuum.

Quo in apologo narrando magnopere discrepant inter se Graeci scriptores, quum apud omnes hircus sit pro cervo, et vulpes decidat in puteum, hircique astutia decepti cornibus innisa e puteo aufugiat: v. Cor. p. 6. 281. sq. At vero proxime accedit Syntipae fab. 10., apud quem tamen *λαγωός* est, pro quo Locman suae regionis bestiam, cervorum genus quoddam, quod Antilopa vocatur, elegit:

Λαγωός τις ἐδίψα καὶ ἐν φρέατι κατῆλθε τοῦ ὕδωρ πιεῖν, ἀφ' οὗ καὶ πολὺ ἐπεπώκει. [22]) *Ὅτε δὲ ἐκεῖθεν ἀνελθεῖν ἔμελλεν, ἀμηχανίᾳ συνεσχέθη περὶ τὴν ἄνοδον καὶ τὰ μέγιστα ἠθύμει. Ἀλώπηξ δὲ ἐλθοῦσα κἀκεῖσε τοῦτον εὑροῦσα ἔφη πρὸς αὐτόν· μεγάλως ὄντως ἐσφάλης· πρότερον γὰρ ὤφειλες βουλεύσασθαι, πῶς ἔσται σοι τοῦ φρέατος ἀνελθεῖν, καὶ εἶθ' οὕτως ἐν αὐτῷ κατελθεῖν.*

In epimythio tamen, ne hoc celare velle videar, ab exemplari suo scriptor Arabs discessit, parum vero sane, de imo mari nescio quid nugarum agens. Poterunt autem huius quoque argumenti exempla proferri complura, ut fab. Locm. 1. cum Syntip. 13. ceterisque apud Coraëm Graecis collata. Sed nolo acervum congerere in re aperta. Aliud autem adiiciam argumentum, in quo nonnihil, opinor, momenti est ad tuendam meam sententiam. Sunt inter Locmanis apologos plures, qui apud alium quidem Graecum leguntur nullum, exstant apud Syntipam, et quidem quatuor: fabula Arabica tertia de cervo aegroto, cui animalia salutatum venientia pabulum surripiunt, ita ut prae fame ille moriatur, Moscoviensis est vicesima; Locmanis quinta

---

22) Locman: *erat autem aqua in puteo profunda.* Aut doctius paullo locutus est, aut non satis intellexit, aut alia nescio quae apud eum genuina fuit lectio.

decima, decima octava, tricesima, apud Syntipam sunt tricesima secunda, quinta quadragesima, decima nona.

Igitur quum de triginta septem fabulis Arabicis viginti sex paene ad verbum expressae sint de Moscoviensibus illis, quas a Graeco quodam homine inferiore aetate esse confectas ostendimus: negari videtur neutiquam posse, eum qui Arabicas conscripserit, his fabulis Graecis pro exemplari usum esse. Neque enim quae sola superest, quam ingrediaris fortasse, via, ut utriusque fabulas et Locmanis et Syntipae e communi fonte vel Persico vel Indico vel quocunque alio manasse putes, tentanti patet; propterea quod manifesto de Graecis illae exemplaribus ductae sunt, sicut supra expositum est. Cui argumento gravissimo quidem et certissimo alia quaedam addi possunt: quale hoc est, quod nullo in neutris vestigio Persicae vel Indicae originis suspicio movetur, quum tamen ceteri illorum populorum libri illius speciem prae se ferant insignem; deinde quod exiguus Arabicarum fabularum numerus congeriem nec diligenter nec accurate factam indicare videtur; quo hoc quoque perducit, quod multae illepide sunt compositae, et quod fab. 23. eadem fere est quae fab. 17.: quibus haud scio an alia plura adiici possint. Videntur autem hae fabulae Arabicae non eodem esse collectae tempore, sed aliis ab aliis auctae: non enim in omnibus codd. idem earum est numerus, atque Freytagius v. cl. editor nuperrimus e codice Parisino adhuc ignotas quatuor adiecit. Hinc illud explicatur, quod Arabicarum undecim non leguntur apud Syntipam, e quibus sex apud alios scriptores Graecos, quinque apud nullum reperiuntur: et potuit sane qui illas collegit ex suorum popularium quoque ore vel libris plures haurire.

Digitized by Google

Quae quum ita sint, apparet et eos perverse agere, qui ullam Aesopias fabulas inter et Locmanicas intercedere coniunctionem negent, inter quos Coraës quoque referendus est (praef. p. λβ.), et eos non recte scire, qui Aesopum fabulas a Locmane accepisse, vel Graecas fabulas ex Arabicis esse conversas opinentur: ita ut Hirtii dissertatio cadat non oppugnata; patet itaque, Arabicarum fabularum fontem esse Graecas, et quidem eas, quae ab ignoto aliquo homine ad vetera exemplaria conscriptae, Syntipae nomen mentitae in lucem prodierunt.

XVII.

Quoniam autem ipse quoque Locman cum Aesopo comparatus est atque confusus, quid hoc tandem rei sit, videamus.

Mentio fit Locmanis in Alcorano his verbis: „Etiam quidem dedimus Locmani sapientiam“: cet. (Sur. XXXI.). Ad eum locum interpretes Alcorani multa de Locmane disputant, et collatis quae de Aesopo narrantur eundem esse Locmanem atque Aesopum student comprobare. Inter quos Marraccius est Comment. p. 944. sq.: idem multi viri tractarunt, Orientalibus docti litteris, ut Hottingerus Hist. Orient. p. 100—106., Iac. Golius ad Erpeni Gramm. p. 189., ceteros v. apud Fabr. B. Gr. Vol. I, p. 651. sq. ed. Harles. Indidem singularem dissertationem „de Locmanno illo Arabum mythologo“ scriptam esse a Schreiero quodam comperi. Ego vero quod neque hanc videre contigerit neque alias scriptiones complures, doleo quidem nonnihil: fortasse tamen haud male dii boni mihi consuluerunt eo, quod abesse istos libros voluerunt, siquidem ad illa specimina licet cetera aestimare, quae ex Boullangeri Galli nugis etymologicis, mythologicis, mysticis

exhibuit Furia (praef. ad fab. p. IX—XV.): qui tamen ultra iocos istos refutatione indignos non evectus, rem ipsam non tetigit, nedum ad finem aliquem perduxit.

Neque tamen ita difficile mihi videtur investigare, quid veri, quid falsi habeat illa doctorum hominum opinio. Dicam quod sentio: quae eadem de Locmane, eadem de Aesopo narrantur, exceptis perpaucis cuncta ex Arabum historiis in Graecas, non e Graecis in Arabicas translata sunt. Miraberis, opinor: pugnare enim hoc videtur cum ea, quam supra explicavi, sententia, Graecis Aesopias fabulas deberi. Sed quid mihi velim, sic accipe. Quidquid concentus est Arabum narrationes inter et Graecorum, ex sola Planudis vita Aesopi manavit, quum is quidem solus de Aesopo eadem referat, quae scriptores Arabes de Locmane. Quod facili ego negotio demonstrabo, perlustrandis iis, quae in suam rem investigaverunt viri docti, Marraccius inprimis et Hottingerus.

Exordium capiunt uterque e Locmanis nomine, quo *voracem*, *helluonem* notari dicunt. Quod ego, ut non sum gnarus linguae Arabicae, significari hoc nomine facile patior. Sed quid hoc ad Aesopum? Audies: compererat, inquiunt, a Babyloniis vel Aegyptiis eam descriptionem corporis Aesopi Muhammedes, quae ex Maximo Planude exhibetur, acuminato eum fuisse capite, *ventrosum*, valgum cet. „Ille igitur, Hottingerus inquit, facile coniiciens, non eos, qui lapsana vivunt et πρώκας σιτίζονται, ita ventrosos esse, Lukmanni, id est Helluonis, ei commode nomen imponendum fuit ratus."

Istam nominis etymologiam per se ridiculam ut refutem non est opus. Sufficit, quod exposui supra,

Planudem primum tale sibi monstrum finxisse,] neque igitur Muhammedem a Graecis esse mutuatum.

Levius etiam illud est, quod utrumque sapientem vocatum dicunt esse. Certe Gellius II, 29. Aesopum tradit sapientem esse existimatum; addere poterant Dionem Chrysostomum Or. LXX. Vol. II, p. 386. Reisk., alios: et Locman quoque sapiens dicitur. Tamen quam hoc probat nihil.

Deinde quod aiunt exhortationem Aesopi ad filium non esse dissimilem ei, quae in Alcorano legatur Locmanis ad suum filium; similia etiam nomina esse Ennum, qui est Aesopi, et Anaam, qui Locmanis est filius: concedo haec quidem, etsi dubitari de iis possit: verum neque ante Planudem nec praeter eum ista quisquam narravit.

Poterant etiam, quod non puto fecisse alios, haec urgere, quae ex Herbeloti Bibl. Orient. Vol. II, p. 486. didici: divinum quondam numen accessisse ad Locmanem, eumque sapientia imbuisse: idem enim Aesopo suo accidisse narrat Planudes p. 9. sqq., praeter eum nemo: deinde illud: Locman egressus est aliquando cum pluribus servis poma quaesiturus: quae ceteri quum comedissent, Locmanem furti incusarunt; hic dominum rogat, tepidam iis aquam porrigat bibendam, ac iubeat eos in orbem saepius se contorquere: quo facto quum ceteri ad vomendum adacti essent, Locmanis innocentia apparuit; hic absolutus discessit, illi verberati sunt. — Hac historiola, ab Alcorani interprete aliquo relata, Planudes magna cum voluptate Aesopum suum illustravit p. 6. 7.; rursus praeter eum nemo.

Quod a Beidavio relatum est, Locmanem ovis partem optimam desumere iussum linguam selegisse; post, pessimam afferre iussum, iterum attulisse linguam; et,

quid hoc sibi vellet rogatum, respondisse, linguam optimam esse partem, quando bona sit, pessimam vero, quando mala: idem pro Aesopi responso Planudes dedit p. 38—41. Verum tamen in eo singulare aliquid observandum est: idem enim Bianti apophthegma Plutarchus tribuit Convivio Septem Sapientum p. 147. B. cf. id. de audition. p. 38. B. Quae narratio quum antiquior sit et Beidavio et Planude, a Graecis videtur ad Arabes profecta esse, qui quidquid hoc genus acute dictum reperiebant, ut in Aesopum Graeci, in suum Locmanem transferebant: et multa quidem talia e Graecis libris Arabes hauserunt: postea vero factum est per Planudem, ut in Graeciam illa fabula redierit: qui, fateor, fortunae lusus est, sed qui improbabilitatis habeat nihil. Vides autem, vitae Aesopi scriptorem doctum fuisse omnino multorum lectione librorum, non Graecorum solum, sed Orientalium quoque, atque is illo quidem tempore non potest non fuisse Maximus Planudes.

Iam nolo omnes illas commemorare fabellas, quae ab Arabum scriptoribus de Locmane passim referuntur: quas qui scire cupiat, excutiat Herbelotianam farraginem. Sunt autem eae prorsus eadem ratione commentae atque congestae, qua suas Graeci finxere: vel mendaciores enim Graecis sunt Arabes. [23]) Cuius rei hoc quoque documentum est, quod aetatem alii annorum

---

23) Quantum in his fabulis confusum sit, inde quoque colligas, quod in Arabicarum narrationum, quem supra nominavi, libro (Vol. XIII, interp. Germ. novissimae) sapiens quidam vir, cui Heycar nomen est, eadem prorsus ratione apud Aegypti regem in aëre turrem exstruit, aenigmata solvit, atque nepotem suum Nadam obiurgat, qua apud Planudem Aesopus.

plus quam trecentorum Locmani suo adiudicant, et floruisse regum Davidis et Salomonis aevo affirmant; alii mille adeo annos eum vixisse dicunt; quod ut evitarent, alii duo Locmanes distinguendos putaverunt, quorum alter tempore antiquissimo, alter multo recentiore vixisset. Nimirum apud Arabes et Hebraeos vir quidam sapiens fuisse perhibetur perantiquus, cuius doctrinae fama totum Orientem pervaserit: a quo diversum fuisse a plerisque statuitur fabularum philosophum item Locmanem appellatum, propterea quod hic servus fuisse traditur niger, Aethiops, quem Arabes vel Persae Habaschi vocare dicuntur: qui denique venditus pervenisse fertur ad Hebraeos et inter Davidis et Salomonis amicos esse receptus. Atque in his quidem facile latet illud quod eorum quae de Aesopo statui possunt summam esse diximus, servum eum fuisse fusco colore, ex Asia interiore in eiusdem oras delatum, posteaque fortasse ad Croesum Lydiae regem venisse. Nam quum proprias de fabulatore aliquo narrationes complures commenti sint Arabes, ut expositum antea est, atque id, quod nunc commemoravi, celebratum sit inter eos omnino: apertum videtur esse, praeclari alicuius fabulatoris nomen a remoto inde tempore inter Asiae populos insigne fuisse, exornatum ut apud Graecos, ita apud eos quoque multis variisque fabulis, partim ipsorum ingenio confictis, partim delatis ab Ionia: qui quum esset satis antiquus, multo antiquiorem fuisse finxerunt temporum rationem parum curantes Arabes. Itaque quum Locman insigni apud Arabes gloria frueretur; fabulae Aesopiae, quae eo tempore, quo inprimis litteris illi operam impendebant atque Graecorum opera interpretabantur et compilabant, de Graeco versae sunt, nonnullis, quae inter ipsos fortasse Arabes ferebantur, a collectore additis,

Digitized by Google

Locmanis viri sapientissimi perantiqui nomine insignitae sunt eoque famam consecutae permagnam.

Iam vero absoluta hac disputatione iudicium apponam viri egregii, quo, postquam ego mihi hanc quaestionem ad finem perduxeram, oblato meam sententiam omnino confirmari gavisus sum sane non mediocriter. Etenim Silvester de Sacy, vir in litteris Orientalibus si quis alius excellens, nuperrime (in Diario Gallico, quod inscriptum est „Journal des Savans“ anni praeteriti mens. Febr.) hanc suam professus est sententiam, quam Latinis verbis totidem redditam hic adscripsi: „Haec fabularum Locmanis congeries non est opus Arabibus proprium, sed vilis potius interpretatio eorum, quos Aesopo tribuunt, apologorum, eaque minime antiqua: factam autem puto aut de Graeco sermone aut de Hebraeo, neque ullo eam nomine commendandam esse iudico. Frustra quaesivere multi, an diversus sit ab Aesopo Locman, cuius nomine hae fabellae sunt insignitae, an Phryge isto servo antiquior, ideoque Aesopus Locmanem pro exemplari sit secutus; deinde, an distinguendus sit fabularum philosophus Locman a sapiente illo Locmane, cuius in Alcorano iniecta mentio est, qui quidem ad mythologica sive heroica Arabum tempora est referendus. Mittam quaerere, utrum totus fabula sit Locman, an, quod similius est veri, iis quae de ipso narrantur quaedam insint vere facta quidem sed aucta magnopere atque exornata. Equidem credo affirmari posse, Arabes unum tantum Locmanem semper novisse, eosque illi nunquam tribuisse tales apologos, quales hodie ipsius sub nomine circumferantur, qui neque ad mores Arabum opinionesque et consuetudines, nec ad dicendi eorum rationem, nec ad naturalem terrae ipsorum historiam accommodati sunt ullo modo. Profecto, sola Locmanis

Digitized by Google

sapientiae fama factum est haud dubie, ut istae alienae originis fabulae adscriptae sint ab omnibus Locmani diverso atque recentiori."

APPENDIX.

DISPUTATUR DE RHODOPIDE MERETRICE.

Herodotus II, 134. quum de pyramidibus exponit ab Aegypti regibus exstructis, Mycerinum quoque regem pyramidem statuisse narrat: de qua deinde sic disputat: *τὴν δὲ μετεξέτεροί φασι Ἑλλήνων Ῥοδώπιος ἑταίρης γυναικὸς εἶναι, οὐκ ὀρθῶς λέγοντες· οὐδὲ ὦν οὐδὲ εἰδότες μοι φαίνονται λέγειν οὗτοι, ἥτις ἦν ἡ Ῥοδῶπις· οὐ γὰρ ἄν οἱ πυραμίδα ἀνέθεσαν ποιήσασθαι τοιαύτην, ἐς τὴν ταλάντων χιλιάδες ἀναρίθμητοι, ὡς λόγῳ εἰπεῖν, ἀναισίμωνται· πρὸς δὲ ὅτι κατὰ Ἄμασιν βασιλεύοντα ἦν ἀκμάζουσα Ῥοδῶπις, ἀλλ' οὐ κατὰ τοῦτον· ἔτεσι γὰρ κάρτα πολλοῖσι ὕστερον τουτέων τῶν βασιλήων τῶν τὰς πυραμίδας ταύτας λιπόντων ἦν Ῥοδῶπις· γενεὴν μὲν ἀπὸ Θρηΐκης· δούλη δὲ ἦν Ἰάδμονος τοῦ Ἡφαιστοπόλιος, ἀνδρὸς Σαμίου, σύνδουλος δὲ Αἰσώπου τοῦ λογοποιοῦ.*

Deinde paucis, quibus Aesopum Iadmonis servum fuisse comprobet, interiectis, de Rhodopide complura exponit, quae quum integra describo, veniam puto eo nomine me impetraturum esse, quod ea vertendo venustate sua defraudare nolo: c. 135.: *Ῥοδῶπις δὲ ἐς Αἴγυπτον ἀπίκετο, Ξάνθεω τοῦ Σαμίου κομίσαντος· ἀπικομένη δὲ κατ' ἐργασίην ἐλύθη χρημάτων μεγάλων ὑπ' ἀνδρὸς Μιτυληναίου Χαράξου, τοῦ Σκαμανδρωνύμου παιδὸς, ἀδελφοῦ δὲ Σαπφοῦς τῆς μουσοποιοῦ. οὕτω δὲ ἡ Ῥοδῶπις ἐλευθερώθη, καὶ κατέμεινέ τε ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ κάρτα ἐπαφρόδιτος γενομένη μεγάλα ἐκτήσατο χρήματα, ὡς ἂν εἶναι Ῥοδώπιος, ἀτὰρ οὐκ ὥς γε ἐς πυραμίδα τοιαύτην*

Digitized by Google

ἐξικέσθαι. τῆς γὰρ τὴν δεκάτην τῶν χρημάτων ἰδέσθαι ἐστὶ ἔτι καὶ ἐς τόδε παντὶ τῷ βουλομένῳ, οὐδὲν δεῖ μεγάλα οἱ χρήματα ἀναθεῖναι. ἐπεθύμησε γὰρ Ῥοδῶπις μνημήϊον ἑωϋτῆς ἐν τῇ Ἑλλάδι καταλιπέσθαι, ποίημα ποιησαμένη τοῦτο, τὸ μὴ τυγχάνει ἄλλῳ ἐξευρημένον καὶ ἀνακείμενον ἐν ἱρῷ, τοῦτο ἀναθεῖναι ἐς Δελφοὺς μνημόσυνον ἑωϋτῆς· τῆς ὦν δεκάτης τῶν χρημάτων ποιησαμένη ὀβελοὺς βουπόρους πολλοὺς σιδηρέους, ὅσον ἐνεχώρεε ἡ δεκάτη οἱ, ἀπέπεμπε ἐς Δελφούς· οἳ καὶ νῦν ἔτι συννενέαται, ὄπισθε μὲν τοῦ βωμοῦ, τὸν Χῖοι ἀνέθεσαν, ἀντίον δὲ αὐτοῦ τοῦ νηοῦ. φιλέουσι δέ κως ἐν τῇ Ναυκράτι ἐπαφρόδιτοι γίνεσθαι αἱ ἑταῖραι· τοῦτο μὲν γὰρ αὕτη, τῆς πέρι λέγεται ὅδε ὁ λόγος, οὕτω δή τι κλεινὴ ἐγένετο, ὡς καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες Ῥοδώπιος τοὔνομα ἐξέμαθον· τοῦτο δὲ ὕστερον ταύτης, τῇ οὔνομα ἦν Ἀρχιδίκη, ἀοίδιμος ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα ἐγένετο, ἧσσον δὲ τῆς ἑτέρης περιλεσχήνευτος. Χάραξος δὲ ὡς λυσάμενος Ῥοδῶπιν ἀπενόστησε ἐς Μιτυλήνην, ἐν μέλεϊ Σαπφὼ πολλὰ κατεκερτόμησέ μιν. Habes totius fere vitae Rhodopidis imaginem, eamque ita diligenter et plene expressam, ut admodum subtilis fuisse Herodoti harum rerum cognitio videatur. Atque in Aegypto ipsum hanc pyramidem inspexisse, ex luculenta eius descriptione collegeris: Πυραμίδα δὲ καὶ οὗτος ἀπελίπετο, πολλὸν ἐλάσσω τοῦ πατρὸς, εἴκοσι ποδῶν καταδέουσαν, κῶλον ἕκαστον τριῶν πλέθρων, ἐούσης τετραγώνου, λίθου δὲ ἐς τὸ ἥμισυ Αἰθιοπικοῦ. Deinde Herodotus quum Delphis commoraretur, quum omnia donaria, tum vero etiam Rhodopidis ὀβελοὺς βουπόρους vidit: id quod inde manifestum est, quod et omnino de donariis Delphicis accuratissime agit, et Rhodopei formam, pretium ac situm adeo describit: igitur etiam epigramma legerat, ex solenni Graecorum usu donario inscriptum, eoque de Rhodopidis vita et fortuna certior erat factus. Eius autem notitiam certe aliunde quoque habebat valde accuratam: in Samo

Digitized by Google

enim insula diutius Herodotum vixisse iuvenem, et traditum est ab antiquis auctoribus, et vero novis argumentis nuper confirmavit Dahlmannus in dissertatione de Herodoto: quibus addi potest hoc, quod pluribus locis apparet plene cognitas eum habuisse res Samiorum hominum privatas; cuius rei insigne documentum exstat IV, 43.; et quod non favens in universum Ionibus, Samiorum tamen causam strenue agit non semel: v. III, 55. VI, 13. cet. Itaque quum Herodoto, eos qui pyramidem Rhodopidis esse putarent arguenti, fidem habere posse videamur: vulgata tamen apud omnes diversa narratio fuisse videtur. De ea ipsa disserens Strabo XVII, p. 808. B: *λέγεται δὲ*, ait, *τῆς ἑταίρας τάφος γεγονὼς ὑπὸ τῶν ἐραστῶν κ. τ. λ.*: ac Diodorus I, 64. (Tom. I, p. 75. Wess.): *οἱ μὲν γὰρ τοὺς προειρημένους βασιλεῖς κατασκευάσαι φασὶν αὐτὰς [τὰς πυραμίδας], οἱ δὲ ἑτέρους τινάς· οἷον τὴν μεγίστην ποιῆσαι λέγουσιν Ἀρμαῖον, τὴν δὲ δευτέραν Ἄμασιν, τὴν δὲ τρίτην Ἰνάρωνα· ταύτην δ' ἔνιοι λέγουσι Ῥοδώπιδος τάφον εἶναι τῆς ἑταίρας, ἧς φασὶ τῶν νομαρχῶν τινὰς ἐράστας γενομένους διὰ φιλοστοργίαν οἰκοδομήσαντας ἐπιτελέσαι κοινῇ τὸ κατασκεύασμα.* Quin sine aliqua dubitatione Plinius H. N. XXXVI, 17.: „Haec sunt pyramidarum miracula: supremumque illud ne quis regum opus miretur, minimam ex his, sed laudatissimam, a Rhodopide meretricula factam. Aesopi fabularum philosophi conserva quondam et contubernalis haec fuit, maiore miraculo tantas opes meretricio esse conquisitas quaestu.“ [24]) Est tamen

24) Eadem sententia fuit Apellae Pontici (v. Suid. v. *Ῥοδώπιδος ἀνάθημα*), de quo quid dicam aeque dubius haereo ac Menagius ad Diog. L. IX. Ceterum an huc sit referendum, quod apud Suidam v. *Ῥοδῶπις* est, *Ῥοδώπειος τάφος*, dubito: potest enim ad haec Achillis Tatii verba spectare (Clit.

in quo isti discrepent: apud Herodotum enim et Plinium ipsa sibi suis divitiis pyramidem statuisse dicitur; apud Diodorum et Strabonem eius amatores, quos Diodorus quidem *νομαρχούς τινας* vocat, Strabo autem non diserte nominat. At vero in Aegyptiis fabulis personam quandam ipse rex tenebat. Lepidum est quod Strabo refert commentum l. l.: *μυθεύουσι δ' ὅτι λουομένης αὐτῆς ἓν τῶν ὑποδημάτων αὐτῆς ἁρπάσας ἀετὸς παρὰ τῆς θεραπαίνης κομίσειεν εἰς Μέμφιν· καὶ τοῦ βασιλέως δικαιοδοτοῦντος ὑπαίθριος γενόμενος, κατὰ κορυφὴν αὐτοῦ ῥίψειε τὸ ὑπόδημα εἰς τὸν κόλπον· ὁ δὲ καὶ τῷ ῥυθμῷ τοῦ ὑποδήματος καὶ τῷ παραδόξῳ κινηθεὶς περιπέμψειεν εἰς τὴν χώραν κατὰ ζήτησιν τῆς φορούσης ἀνθρώπου τοῦτο· ἐν τῇ πόλει δὲ εὑρεθεῖσα τῶν Ναυκρατιτῶν ἀναχθείη καὶ γένοιτο γυνὴ τοῦ βασιλέως· τελευτήσασα δὲ τοῦ λεχθέντος τύχοι τάφου.* Quas delicias cupide arripuit Aelianus, qui (XIII. V. H., 33.) magnifico quodam sententiae pondere ita ingreditur: *Ῥοδῶπιν φασιν Αἰγυπτίων λόγοι ἑταῖραν γενέσθαι ὡραιοτάτην· καὶ ποτὲ αὐτῆς λουομένης ἡ τὰ παράδοξα καὶ τὰ ἀδόκητα φιλοῦσα ἐργάζεσθαι τύχη προὐξένησεν αὐτῇ οὐ τῆς γνώμης ἀλλὰ τοῦ κάλλους ἄξια.* Cetera prorsus ut Strabo narrat: id tamen novi adfert, quod regem Aegypti Psammetichum fuisse affirmat. Quod quum aperte pugnet cum Herodoti testimonio, qui Amasidis aetate Rhodopidem dicat floruisse: altera hinc difficultas exoritur. Sed adest tertia, eaque omnium fortasse gravissima. Consurgit enim contra Herodotum Athenaeus XIII, p. 396. B., atque incusat eum quod Charaxi amicam Doricham, et Rhodopidem, meretricem quondam celebrem, diver-

---

Am. II, 17. p. 40. ed. Iac.): *ἔστι δὲ μικρὸν ἐπίνειον Τυρίων, νησίδιον ἀπέχον ὀλίγον τῆς Τύρου· Ῥοδώπιδος αὐτὸ τάφον οἱ Τύριοι λέγουσιν.*

sas omnino feminas, pro una eademque habuerit, ignorantia lapsus: *Ἐνδόξους δὲ ἑταίρας καὶ ἐπὶ κάλλει διαφερούσας ἤνεγκε καὶ ἡ Ναύκρατις· Δωρίχαν τε, ἣν ἡ καλὴ Σαπφὼ ἐρωμένην γενομένην Χαράξου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῆς, κατ' ἐμπορίαν εἰς τὴν Ναύκρατιν ἀπαίροντος, διὰ τῆς ποιήσεως διαβάλλει ὡς πολλὰ τοῦ Χαράξου νοσφισαμένην. Ἡρόδοτος δ' αὐτὴν Ῥοδῶπιν καλεῖ, ἀγνοῶν ὅτι ἑτέρα τῆς Δωρίχης ἐστὶν αὕτη, ἡ καὶ τοὺς περιβοήτους ὀβελίσκους ἀναθεῖσα ἐν Δελφοῖς, ὧν μέμνηται Κρατῖνος διὰ τούτων* + + + (Intercidit ῥῆσις comici) *εἰς δε τὴν Δωρίχην τόδ' ἐποίησε τοὐπίγραμμα Ποσείδιππος, καίτοι ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ πολλάκις αὐτῆς μνημονεύσας. ἐστὶ δὲ τόδε·*

Δωρίχα, ὀστέα μὲν σὰ πάλαι κοιμήσατο δεσμὸς
χαίτης, ἥτε μύρων ἔκπνοος ἀμπεχόνη·
ᾗ ποτὲ τὸν χαρίεντα περιστέλλουσα Χάραξον
σύγχρους ὀρθρινῶν ἥψαο κισσυβίων.
Σαπφῷαι δὲ μένουσι φίλης ἔτι καὶ μενέουσιν
ᾠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.
οὔνομά σου μακαριστὸν, ὃ Ναύκρατις ὧδε φυλάξει,
ἔστ' ἂν ἐπὶ Νείλου ναῦς ἔφαλος γεγόνῃ.

Mirabilis vero res: Herodotum, qui plenam historiae Rhodopidis cognitionem habuisse videtur, de Doricha autem ne verbulo quidem monet, ignorasse Athenaeus insimulat id, quod caput in hac re erat ac fundamentum; et quidem, quod maxime mirum est omnium, ex eodem ille fonte hausit, quem Herodotus non solum cognitum habebat, sed ad quem ipse provocat, carmina dico Sapphus. Verum tamen et Athenaeus confidentissime loquitur, et Dorichae nomen meretrici fuisse aliis etiam iisque certissimis testimoniis confirmatur. Namque Doricham eam a Sapphone nuncupatam fuisse, patet tum ex his Strabonis l. l. verbis: *λέγεται δὲ τῆς ἑταίρας τάφος γεγονὼς ὑπὸ τῶν ἐραστῶν, ἣν Σαπφὼ μὲν ἡ τῶν μελῶν ποιήτρια καλεῖ Δωρίχαν:* tum ex epigram-

Digitized by Google

mate Posidippi, qui in Aethiopia [25]) quoque eius mentionem fecerat, tum ex ipso Athenaeo: quibus quidem omnibus Sapphus carmina praesto erant. In fragmentis poetriae nullum Dorichae vestigium: nam quod Casaubonus ad Athen. XV, p. 674. *Δωρίχα* pro *ᾠδίκα* scripsit, nostram celebrari putans: ingeniosissime quidem fecit, sed non vere. Ovidius autem, si quantum in his salebris desudaturi essent docti homines praesensisset, non haesitasset, opinor, invito quamvis versu, addito puellae nomine paucisque ad explicandum verbis totam rem dilucidare: quod quum neglexerit, paucis hisce acquiescendum nobis est, quae ex Sapphus carmine haud dubie is quoque hausit. Heroid. XV. Sappho ad Phaonem v. 63.:

Arsit inops frater captus meretricis amore,
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Fractus inops agili peragit freta caerula remo,
Quasque male amisit, nunc male quaerit opes.
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit;
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.

ibid. v. 117.:

Gaudet et e nostro crescit moerore Charaxus
Frater et ante oculos itque reditque meos.

At vero si Doricham Sappho puellam, non Rhodopidem nominavit, ut certe nominavit: qua tandem ratione hoc explicatur, quod Herodotus constanter Rhodopidem eam, non Doricham appellat, ac tamen ad eadem Sapphus carmina ille provocat, ad quae ceteri? Nisi forte in quorundam ille numero fuit, qui ad comprobandam suam opinionem scriptorum locos nonnun-

25) De Posidippi Aethiopia quum aliunde nihil compertum habeamus, tamen de ea tanquam de libro non solum nobis servato verum etiam pervulgato apud omnes Larcherus loquitur ad Her. II, p. 462.

Digitized by Google

quam citare solent, in quibus aliena atque contraria omnia edicuntur.

Has difficultates priusquam aggrediar expedire, alia, quam nondum tetigi, removenda mihi est: quae latet in mulierculae nominibus Rhodopide et Doricha. Etenim illud in nonnullis et codicibus et editionibus Strabonis, Athenaei, Diodori, aliorum, non *Ῥοδῶπις* scribitur, sed *Ῥοδόπη*, quod montis Thracii nomen est. Inter quae accurate distinxit Suidas v. *Ῥοδῶπις· ὄνομα κύριον· καὶ Ῥοδώπειος τάφος· Ῥοδόπη δὲ ὄνομα κύριον καὶ Θρακικὸν ὄρος. καὶ παροιμία· ἅπανθ' ὅμοια καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλή. σημαίνει ὅτι καὶ ταῖς τύχαις ὁμοίως ὑποπεπτώκασιν οἱ θνητοί:* quae explicatio haud scio an falsa sit, ac praeferenda ea quam h. l. Kusterus protulit. Haec vero paroemia quum comici, opinor, alicuius numeris inclusa sit, iustam scripturam *Ῥοδῶπις* esse nulla dubitatio relinquitur: eadem detruncata legitur apud eundem Suidam v. *Πάνθ' ὅμοια*, ubi Portus vidit esse senarium. Accedit nominis significatio, de qua postea dicetur; accedit hoc denique, quod in Herodoto et in melioribus ceterorum codicibus constanter *Ῥοδῶπις* exstat. Hinc in Strabone et in Achille Tatio II, 17. *Ῥοδῶπις* corrigi iussit Coraës ad Heliodor. T. II, p. 91. Nimirum a fabularum, quae vulgo audiunt, Romanensium scriptoribus, quales sunt Achilles Tatius, Heliodorus, formosa mulier inducitur, vocabulo aut *Ῥοδώπιδος* aut *Ῥοδόπης* appellata: apud quos quum librorum dissensio sit, plerumque tamen *Ῥοδόπη* scribitur: quanquam *Ῥοδώπιδος* edidit Iacobsius in Achille Tat. VIII, p. 186., idem *Ῥοδόπης* ibidem II, p. 40. Nicetam autem III, 262. p. 292. *Ῥοδόπην* scripsisse Iacobsius refert l. l. Atque hoc quoque nomen probum est idemque meretricis: est enim non solum apud Iuvenalem IX, 4., verum etiam apud Paulum Silentiarium:

Digitized by Google

quod quum non meminissem, edocuit me praeceptor pie colendus, Naekius; qui quidem verissime monuit, ductum hoc nomen non esse a monte ipso, sed a nympha montis. Quae quum ita sint, ita existimandum est, nostram ubique esse Ῥοδώπιδα scribendam, apud posteriores vero scriptores eroticos, quod a melioribus libris exhibeatur, aut Ῥοδώπιδα aut Ῥοδόπην.

Minus negotii est in nomine Δωρίχα, quod etiam Δωρίκα et Δωρίκη scribunt: perperam, ut mihi quidem videtur. Multa enim praecipue apud Aeoles nomina in ιχος et ίχα terminantur: quod in Λαρίχῳ, alio Sapphus fratre (v. Suid. v. Σαπφώ, ubi perperam Λάρυχος; verum apud Athen. X, p. 424. f.) apposite observavit Larcherus ad Herod. II, p. 461.; eadem ratione Ἐρυσίχη, Acarnaniae oppidum, ἀπὸ Ἐρυσίχης (ut Stephanus Byz. dicit s. v.) τῆς τοῦ Ἀχελώου θυγατρός: eodem pertinent Φρύνιχος, cet.: v. Koen. ad Greg. Corinth. p. 290. sq.

Iam vero in explicandis, quae nobis obstant, difficultatibus exordium capiendum est ab Aeliani loco, quem supra adscripsi. In quo quum Psammetichus rex Rhodopidis amator fuisse dicatur, quo temporum ratio ab Herodoto constituta evertitur: Perizonius, vir tractandae historiae admodum peritus, duas fuisse Rhodopides coniecit, alteram Aesopi conservam, Charaxi amicam, quae Amaside regnante floruerit, alteram ex meretrice uxorem Psammetichi factam, sepultamque in pyramide: atque eas confusas esse ab Herodoto, Strabone, Plinio: qua ipsa coniectura id quoque expediri putabat, quod Herodotum Athenaeus erroris insimulavit.

Sunt autem apud Aelianum diversae lectiones: ex quibus ego eam sequor, quae meae ratiocinationi adversari videtur. Nam quum in antiquis libris esset: Ῥοδῶπίν φασιν Αἰγυπτίων ἑταίραν γενέσθαι λόγοι ὡραιοτάτην, ordine verborum valde perverso: Schefferus e

codd. λόγοι ad Αἰγυπτίων transposuit; quo non acquiescens Perizonius ex uno codice, in quo Αἰγυπτίαν legitur, λόγοι autem servatur, eiecta voce λόγοι scripsit: Ῥόδωπίν φασιν (Ῥοδῶπίν φασιν scribendum erat) Αἰγυπτίαν ἑταῖραν γενέσθαι ὡραιοτάτην. Qui quum audacior conatus mihi videretur, satis tutam lectionem secutus sum: Ῥοδῶπίν φασιν Αἰγυπτίων λόγοι.. Iam si λόγοις historia aliqua fide digna, ut annales Aegyptiorum vel eiusmodi quid, designaretur; magnum certe ad Perizonii sententiam pondus accederet. Sed aliter est omnino. Apud Aelianum enim, sicut apud alios quoque, λόγος nihil est nisi qualiscunque fidei narratio, per vulgi ora cantata: velut V. H. XIII, 1.: λόγος οὗτος Ἀρκαδικὸς ὑπὲρ τῆς Ἀταλάντης —; III, 35.: λόγος δὲ οὗτος διαῤῥεῖ καὶ οὗτος Ἀττικός. I, 32.: λόγος οὖν καὶ οὗτος Περσικός. V, 4.: λόγος ἐστὶ Δήλιος. Igitur λόγοι Αἰγύπτιοι nostro loco sunt fabulae Aegyptiae, distinguendae vero ab iis, quarum supra iniecta mentio est. Eas autem nullo esse in pretio habendas, levi negotio intelligetur.

Etenim fabulam esse illam de aquila narrationem, quae lavantis puellae calceum in regis sinum deiecisse perhibetur, nemo non videt. Quam sane bellam Herodotus si novisset, certe retulisset: at debebat scire si tum temporis iam conficta fuit. Quid quaeris? manifestum est, qua ratione istae de Rhodopide fabulae sensim per decurrentia temporum spatia adauctae sint atque exornatae. Namque apud Herodotum Rhodopis meretrix tantum est, formosa quidem quaestuque praedives facta ac per totam Graeciam famosa, sed tamen privata vivit Naucrati, in limine Aegypti, neque quidquam ipsi cum principibus regibusve rei est: at vero si Graeca meretrix Aegyptii regis uxor esset facta: profecto quum Graecum neminem, tum vero minime Hero-

Digitized by Google

dotum hoc latuisset. A tam exili autem initio profecta Rhodopis apud Diodorum, quadringentis fere post Herodotum annis, quosdam regionibus praefectos amatores adipiscitur, qui pyramidem ipsi exstruunt; apud Strabonem ipse rex admovetur: nec tamen Strabo regis nomen percepit, sed lepida narratione explicat rem sane miram. Aelianus vero ὁ πάνυ, cunctis doctior, pro explorato habet, Psammetichum regem mulieris illius amatorem fuisse, neque temporum rationem curans, neque illud reputans, Psammetichi aetate Graecis nondum tantam negotiorum cum Aegyptiis frequentiam fuisse, quanta sub Amaside demum provenerit. Sed quid multa? Apparet, Aelianum Psammetichi nomen de suo addidisse, ea ratione qua inprimis inferiore aetate celeberrima quaeque nomina obscuris hominibus tribuuntur, qui fabula aliqua celebrantur. Quamobrem *varia* haec Aeliani *historia* est: atque cadit, si quid aliud, Perizonii ratiocinatio. Enimvero ea omnino in historia ratio, qua, si de eodem homine a diversis auctoribus diversa narrantur, plures eodem nomine homines exstitisse coniicitur, nisi certa eo vestigia ducant, mihi non probatur: quippe qua facillime quidem difficultates removeantur, sed non critice: est enim nodum discindentis, non solventis.

At vero expeditur Perizonii coniectura ea difficultas, quae est in Doricha et Rhodopide. Ego quidem expediri eam nego. Ponas enim licet, diversas duas Rhodopides fuisse, minime tamen hoc perspicuum redditur, qua ratione Herodotus tam singulari errore lapsus esse possit. Atque gravissimum profecto est, erroris simul Herodotum et Strabonem Diodorumque et Plinium, omnes, arguere propter coniecturam nullo documento comprobatam. Sed attende mihi ad Athenaeum: qui quamvis audacter diversas fuisse feminas contendat, quo tandem argumento suam opinionem confirmat?

Digitized by Google

Unde ille, qui sexcentis post Herodotum annis vivebat, iam accurate cognitum habebat id quod et Herodotus ignorabat, nec Strabo nec Plinius comperorat, nec post Athenaeum Aelianus quidem? Neque vero e Rhodopidis donario reconditam istam doctrinam haurire poterat, quum illud Plutarchi iam, ideoque certe Athenaei aetate non amplius exstaret. Sic enim Plutarchus de Oracul. defect. p. 400. f.: *Ἐπεὶ δὲ τὸν Ἀκανθίων καὶ Βρασίδου παρελθοῦσιν οἶκον ἡμῖν ἔδειξεν ὁ περιηγητὴς χωρίον, ἐν ᾧ Ῥοδώπιδος ἔκειντο ποτὲ ὀβελίσκοι σιδηροῖ....*

Itaque coniectura haec est Athenaei: quae quidem nullo documento niti poterat, nisi Sapphus carmine: in eo enim Dorichae nomine puellam cantatam esse, et manifesto apparet et concessi ipse. Atqui hoc qua tandem ratione expediendum sit, rogitas. Ego vero ita facillime expediri dico, ut ex iis, quae certa esse sciamus, id quod sequi debeat concludas. Nam quum Sappho puellam Doricham vocarit, Herodotus Rhodopidem, neque duae eodem nomine insignitae meretrices fuisse possint: ultro nobis suspicio moveri debet, diversis vocabulis eandem puellam significari. Quod quum facile aliquis coniiciat, [26] tamen et testimoniis opus est, et restant quae explicanda sint. Nam cur Sappho illam non nuncupaverit Rhodopidem, Herodotus non Doricham, cur duplici ea nomine diversis tempo-

26) Possit etiam Strabo verum intellexisse videri, quum sic dicat: *λέγεται δὲ τῆς ἑταίρας τάφος γεγονώς..... ἣν Σαπφὼ μὲν.... καλεῖ Δωρίχαν.... ἄλλοι δ' ὀνομάζουσι Ῥοδῶπιν.* Sed narravit tantum ille, nil explicuit. Propius a vero, quanquam sibi ipse fortasse non conscius, Photius est v. *Ῥοδώπιδος ἀνάθημα*: qui postquam de Rhodopide complura exposuit, haec addit: *ἡ δὲ Σαπφὼ αὐτὴν Δωρίχαν καλεῖ.* Ceterum Suidas v. *Αἴσωπος* et *ἑταῖραι* quae ab antiquis auctoribus de Rhodopide accepimus, exscripsit.

ribus celebrata sit, primo quidem adspectu non intelligitur. Sed habet hoc optime. Etenim serva illa fuerat in Samo insula Idmonis, ac servae nomen erat Dorichae: post quum meretricium quaestum occepit, posito, ut formosam puellam, non amplius servam, omnes et viderent et cogitarent, Dorichae nomine, eleganti *Ῥοδώπιδος* vocabulo venustissimam formam indicabat, atque sub eo nomine, per sequentia tempora, ut Herodoti verbis utar, *οὕτω δή τι κλεινὴ ἐγένετο, ὡς καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες Ῥοδώπιδος τοὔνομα ἐξέμαθον*: eo certe nomine insignitum fuit donarium Delphicum; eo nomine Herodoti aetate illa celebrabatur. At Sappho quum meretricis corruptelam atque avaritiam increparet, profecto non superbo illo nomine uti debebat, sed eo, quo pristina illius servilis atque humilis conditio palam pronunciaretur. Quod Herodotus quum probe sciret, tacuit tamen rem pervulgatam: Athenaeus vero, cui nihil nisi Sapphus convicia superessent, ignorantia ad arrogantiam est delatus.

Quibus haec coniectura confirmatur testimonia haec sunt. Plutarch. de orac. def. p. 401, a.:

Καὶ ὁ Σεραπίων, τί δὲ ταῦτα, ἔφη, δυσχεραίνεις; ἐκεῖ βλέψον ἄνω, καὶ τὴν χρυσῆν ἐν τοῖς στρατηγοῖς καὶ βασιλεῦσι θεάσει Μνησαρέτην, ἣν Κράτης εἶπε τῆς τῶν Ἑλλήνων ἀκρασίας ἀνακεῖσθαι τροπαῖον. Ἰδὼν οὖν ὁ νεανίας, Εἶτα περὶ Φρύνης, ἔφη, τοῦτο ἦν εἰρημένον Κράτητι; Ναί, εἶπεν ὁ Σεραπίων· Μνησαρέτη γὰρ ἐκαλεῖτο, τὴν δὲ Φρύνην ἐπίκλησιν ἔσχε διὰ τὴν ὠχρότητα. Πολλὰ δέ, ὡς ἔοικε, τῶν ὀνομάτων ἀποκρύπτουσιν αἱ παρωνυμίαι· τὴν γοῦν Ἀλεξάνδρου μητέρα Πολύξεναν, εἶτα Μυρτάλην, Ὀλυμπιάδα τε καὶ Στρατονίκην κληθῆναι λέγουσιν. τὴν δὲ Κορινθίαν Εὔμητιν ἄχρι νῦν Κλεοβούλην πατρόθεν οἱ πλεῖστοι καλοῦσιν. Ἡροφίλην δὲ τὴν Ἐρυθραίαν, μαντικὴν γενομένην, Σίβυλλαν προσηγόρευσαν. Τῶν δὲ γραμματικῶν ἀκούσῃ

Digitized by Google

καὶ τὴν Λήδαν Μνησινόην καὶ τὸν Ὀρέστην Ἀχαιὸν ὠνομάσθαι φασκόντων. Habes ergo non solum certa duplicis nominis exempla, quum in aliis tum etiam in meretrice, cuius proprium nomen nesciremus, si non esset servatus hic Plutarchi locus et Athenaei XIII, p. 591, e., in quo idem narratur: sed generalem quoque eamque haud dubie veram Plutarchi observationem, saepe factum esse, ut cognominibus nomina obscurata sint ac prorsus oblitterata. Unum tamen addere debebat et verissimum et gravissimum. Nam quae in mulieribus generatim accidit, proprii nominis oblivio, inprimis observatur in meretricibus. Usitatum enim erat apud Graecos, ut, quae meretricium quaestum professae essent, aliud quoddam nomen aut ipsae sibi eligerent, aut ab amatoribus, assentatoribus, irrisoribus, acciperent. Quod quoniam stabiliendae nostrae sententiae egregium adminiculum praebet, exemplis iam paucis, ex Athenaei l. XIII. praecipue petitis, confirmabitur.

Mania, meretrix celeberrima, teste Machone in Chriis apud Athenaeum XIII, p. 578, b. c., antea vocata fuit Melitta; quae quum et iocose et serio exclamare soleret *μανία*, impositum ipsi *Μανία* nomen est, servile proprie, ut *Μάνης*: quam enim alii causam dixerunt, amatorum catervam clamare solitam esse, ad furorem, *εἰς μανίαν*, Melittam esse formosam, ea mihi ab ieiuno aliquo homine excogitata videtur. In ea vero ipsa habes exemplum confusarum per cognomina puellarum: quam enim Plutarchus Demetr. p.901, C. Maniam dicit proprie appellatam esse Demo, Athenaeus p. 578, a. diversam a Demone fuisse affirmat: quodsi *Μέλιτταν*, quo vocabulo etiam Sophocles et Xenophon cognominati sunt, aliud eiusdem Demus cognomen fuisse suspicari licet, iterum lapsus est Athenaeus. Saepe enim plura puellis nomina dabantur, inprimis a poetis comicis: quae

Digitized by Google

nonunnquam non amplius curata sunt, aliquando tamen ita mirifice placuerunt, ut per vulgi ora his illae vocabulis nuncuparentur: v. Athen. XIII, p. 570, a., Plutarch. Pericl. p. 165, D. cf. Siebenkees. Anecd. p. 44. Ex quibus illud valde urbanum est, quod Demetrii puella, Lamia, quae non acquiescens splendidis Demetrii donis ipsa quoque a civitatibus tributa exigebat, a comico aliquo poeta Ἑλέπολις dicta est, quod nomen erat machinae Demetrii bellicae maxime insignis: Plutarch. Demetr. p. 901, B. Sed ipsum *Λαμίας* nomen non puto genuinum fuisse: quippe quo vocabulo ingens aliquod ac terribile monstrum designatum sit, pueros devorare solitum, translato deinde verbo ad piscium genus voracissimum (v. Wessel. ad Diodor. XX, 41. p. 434. n. g.). Saepissime enim insatiabilis meretricum auri cupido aptis cognomentis notabatur: velut Lais Corinthia propterea quod rem familiarem amantium avarissime circumcidebat, *securis* dicta est (Aelian. V. H. XII, 5., XIV, 35.); mortuae Corinthii in Cranio monumentum posuere, in quo leaena arietem dilacerabat (Pausan. II, p. 115. Athen. XIII, p. 589, c.): eadem illa cupido fortasse ipso *Λαΐδος* nomine notabatur (*ληΐζω*, *λαΐζω* Dorica forma apud Corinthios usitata). Laidis mater ab Athenaeo XIII, p. 574, f. *Δαμασάνδρα* dicitur, ab eodem XII, p. 535., scholiasta ad Arist. Plut. 179., Plutarcho vit. Alcib. fin. *Τιμάνδρα*, quod idem, si verbi *τιμᾶν* significationem *multare* cogites, valde aptum cognomentum est. Saepenumero turpissima illis nomina indita sunt, insigni tamen cum sale inventa: v. Athen. XIII, p. 586, a., p. 590, f., cet. Quae quidem ita per vulgus nota erant, ut oratores adeo in iudicio iis puellas nuncuparent, coacti fortasse, ut neminem, de quo ageretur, lateret.

Digitized by Google

Vides solenni hoc cognominum apud Graecos more facile fieri potuisse, ac nonnunquam adeo factum esse, ut prae festivo aliquo cognomine proprium nomen ex hominum memoria interciderit: itaque de Rhodopide dubii nihil relinqui videtur. Iam illud tantum addiderim, apud Romanos idem in more fuisse, eoque magis etiam pervulgato atque certo, quam apud Graecos: Romae enim siqua meretricium quaestum incipere in animo habebat, apud Aedilem posito vero nomine alienum sumere solebat: id quod perspicitur ex hoc Plauti loco Poenul. V, 3, 20.: quo nutrix dicit, ni dominus advenisset, actum de eius filiabus futurum fuisse:

Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quaestum corpore.

Ad quem locum Taubmannus Alciatum laudat Parerg. l. X, aliosque viros doctos, qui eum morem compluribus illustrarint exemplis.

Digitized by Google

Pag. 3. vers. 18. *corrige* adiuvet. In eadem littera saepius peccatum.
„ 10. „ 15. „ Oriente.
„ 11. „ 31. „ *αἰγυπιός*. Idem mendum tribus praeter hunc locis.
„ 14. „ 29. *excidit esse* ante vocem *detentus*.
„ 26. „ 17. *corrige* obisse.
„ 30. „ 22. „ *ἦ*.
„ 31. „ 11. „ obisse.
„ 39. „ 2. „ abisse.
„ 40. De loco Platonico eadem sententia F. A. Wolfii est in lectionibus de Platonis Phaedone Germanice scriptis, Berol. 1811, p. 23.
„ 47. v. 8. post *sedecim* dele colon. Leviora in interpungendo menda praetermisi.
„ 61. *Ἰάδμων* nomen fortasse ab *ἰάζω* ductum, ut *φράδμων* a *φράζω*: erit ergo *ὁ ἰωνίζων*, nimirum ob Samum insulam.
„ 85. v. 5. Postrema Etymologi verba corrupta sunt. Similia apud eundem paullo superius, sed quae ipsa corrupta sic restituenda sunt ex Ammonio et paroemiographis: *παροιμία δὲ τὴν ἀπὸ τοῦ κεφαλαίου ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀναφορὰν ἔχει ἐνδέουσαν τοῦ αἴνου, καὶ τὴν ἔξωθεν ἐνδεχομένην μετάβασιν· οἷον μένε βοῦς ποτὲ βοτάνην καὶ κισσὸς μετ' ἀνθεστήρια*. Partem veri ipse assecutus eram coniectura.
„ 85. v. 14. *corr. Αἶνός*.
„ 86. Fin. De discrimine verborum *μῦθος* et *λόγος* idem fere Wolfius l. l. p. 27.
„ 87. v. 30. *corr. Αἰσώπου*, id. v. seq.
„ 88. v. penult. *corr. Χάρυβδις*.
„ 93. v. 5. post *mirifice* ponendum comma est.
„ 93. v. 15. sqq. verba *Iam vero — mallent* deleri velim reponique haec fere: Iam vero Alexis quum Aesopum apud Croesum commorantem induxisse videatur, vulgatam tunc et antiquam opinionem secutus est: solent enim talia comici e vulgaribus petere fabulis.
„ 95. v. 23. *corr.* 1756.
„ 101. v. 2. *corr.* Graecos.
„ 104. v. 1. *corr. λόγος*.
„ 120. v. 9. sqq. Strabonis locum certa emendatione sic restituit Vir illustrissimus Niebuhrius: *καὶ τοῦ βασιλέως δικαιοδοτοῦντος ὑπαιθρίου, γενόμενος κατὰ κορυφῆς αὐτοῦ ῥίψειε κ. τ. λ.* In cod. Med. 4. glossa *ἐν ὑπαίθρῳ*; in Vat. et Med. 3. *κορυφῆς*. Verum expressit interpres Gallus, lectore non monito.
„ 127. v. 30. *corr. Ῥοδώπιδος*.
„ 128. v. 22. „ *δυσχεραίνεις*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 020 163 549

Digitized by Google

Digitized by Google